WAVOWLNA
Warvalhna

ARMAMENTARIUM
Inſtructiſſimum,
In quo
PANOPLIA,
Eremi *Seu perfecta* Vygrensis
MILITIS CHRISTIANI ARMATURA
Reconditur:

Omnibus ſub vexillo Chriſti militantibus contra quoſvis hoſtium animarum inſultus, ad vitia exſtirpanda, virtutes inſerendas, arma & inſtrumenta ſuppeditans;

Cum amœno quæſtionum variarum delectu.

Accedit ſeorſim

PIUM FOEDUS CUM DEO ex probatiſſimis auctoribus depromptum operâ & ſtudio

R. P. ALOYSII DREWS,
Profeſſ. Pelplin. S. Ord. Ciſt.

Permiſſu ſuperiorum.

Imprimebat CHRISTIANUS KOCH,
Typis Monaſterii Olivenſis, S. O. C. Anno 1677.

MAGNIFICO AC GENEROSO DOMINO,

DN. JOANNI KOMORSKI,

Vèxillifero Mariæburgensi, Capitaneo Jasinecensi,

Domino & Patrono observandissimo.

SOlent subinde parvi grandibus non grandia offerre Magnifice ac Generose

 rose

rose Domine; ipse DEus quo nihil majus fingi potest, modica non dedignatur. Novi equidem Te inter silentii bona latere cupidum, unde forsan miraberis, quod Te meæ lucubrationes repererint: verum fiducia singularis Tuæ erga me benevolentiæ extitit Mater audaciæ. Ab illo siquidem tempore quo tecum familiarius agere cæpi, quemque non solum libenter vidisti, sed etiam audivisti, ita me rapuit & Tibi devinxit illa Tua amabilis comitas & præclara naturæ Tuæ dona & virtutes attraxerunt, ut

dudum publico aliquo monumento vel pignore affectum æſtuantis animi & meum erga Te cultum probare & palam facere in optatis haberem. Nunc ergo libellus hic meus ad Te ſpontè properat, nec arbitror pro ingrato erit munus, quod per ſe quidem haud magnum, à Te pondus accipiet; Sic enim poterit uberiori cum fructu ab omnibus excipi, ſi ſenſerint, illud Tibi fuiſſe non ingratum, Tuoque approbatum calculo. Te inquam Magnifice Domine opuſculum meum Patronum quærit, qui

religione & in DEUM pietate plurimùm apud omnes vales. Tuam imprimis eximiam charitatem Perillustris ac Reverendissimus Dominus GEORGIUS NARAMOVVSKI Abbas Coronoviensis (cui non leve vorax flamma intulit damnum) deprædicat, quando nimirum in suis necessitatibus Tua abundè expertus beneficia. Lego admirandum flumen in novo orbe, cui nomen Zenen, quod cum pluviis augetur, aureas glebas instar ovi gallinacei defert. Verè nobile ac fertile flu-

ſlumen; ſed non minoris dignitatis eſt fluvius Veſter Srzeniavva, præbens Vobis aquam candidam, in qua armorum Veſtrorum crux enitet, ne unquam in adverſum fluvium famâ, converſatione, vitâ, declinetis. Crux inquam Chriſti exaltetur in cordibus, domibus, ac Familiis Veſtris. Miramur ſæpius Tuam humanitatem inſolitam, quâ omnes benignè excipis, honorificè ſalutas, omnibus ſerenum vultum exhibes; ſed magis miramur Te in hac nobilitate Tua, in rerum omnium affluentia, in

magnis Reip. honoribus nihil in omni ætate, nihil in omni genere vitæ, quod non honeſtum, quod non laudabile, quod à virtute alienum ſit, non egiſſe: unde ſæpe ingemiſco, qui creſcentibus annis video Te seneſcentem: ſi quid ſuffragiis meis poſſem, profectò ferventibus votis poſtularem ſolſtitium Tuæ decurrentis ætatis. Quæ hucusque recenſui eo ſpectant, non ut Te Magnifice ac Generoſe Domine aliquo laudum genere illuſtrem, qui ſatis es illuſtris, ſed ut merito opus hoc Tibi dicatum judice-

tur, & ut credas me Tibi addictissimum esse, Tuoque nomini inservire. Obvolvo hîc silentio qualitates Tuas à nonnullis regni Proceribus in Te commendatas, ut Jure plusquam merito antehac à secretis iisdem esses & ardua tractares. Accipe igitur quâ soles benevola fronte lucubrationum mearum primitias debitæ observantiæ meæ tesseram & testimonium præbentes, nec dedigneris munusculi tenuitatem, sed consideres donantis candidam sinceritatem. Mearum interim partium erit DEUM

præpotentem asſiduè precari, ut Magnificam ac Generoſam Dominationem Veſtram diutisſimè conſervet incolumem. Coronoviæ die 6. Novembris Anno 1677.

Magnificæ ac Generoſæ Dominationis Veſtræ

Exorator ante Deum & mancipatus obſequio

Fr. ALOYSIUS DREWS, Profeſſ. Pelplin. S. O. C.

AU-

AUTHOR
Ad
LECTOREM.

CÆleſtem Hieruſalem eſſe civitatem fortium de fide eſt, hanc DEUS *electis ſuis fortiter contra mundum, carnem, dæmonem certantibus & vincentibus præparavit, ſicut ex adverſo timidis æternos gehennæ ignes. Hinc apud Joannem Moſchum legimus, Religioſum quendam cum in viſione Paradiſum videret, velletq; in eum ingredi, audiviſſe ab Angelo:* Nemo piger

huc

huc ingreditur. Ite, certate, contemnite vanitates sæculi. *Ut igitur horum metu, illius spe & desiderio acuatur militum Christianorum animus; visum est mihi breviter tractare de Perfecta Militis Christiani armatura, PANOPLIAM inquam ex variis auctoribus depromptam, variorum genere armorum instructam, & in aliquot Repertoria redactam exhibeo: ut exinde undiq; armemur & perfectè ab omni parte armati stemus & excubemus, facti Diabolo terribiles. Quocunque enim pergimus, nobiscum portamus inimicum; Unde semper & ubique per omnem vitam nobis cum eo colluctandum & acriter dimicandum est; quare semper in eum oculos defigere debemus, ne clanculum in* *ani-*

animum se insinuet: nimirum ut quasi hostem observemus, repellamus & mortificemus. Neque vobis grave sit ô milites Christiani modo ad modicum tempus in castris & tabernaculis morari; pati famem, frigora & æstus; cum dæmone, carne, mundo confligere: quia mox hæc tabernacula & castra mutabuntur in tabernaculum cæleste, gloriosum & magnificum, in quo positis armis & laboribus victisque hostibus in perpetua pace, gaudio & gloria triumphabitis. Miles bellis excitatur ad virtutem, in pace & otio defluit ad voluptates & luxuriam; fit inquietus & turbulentus, ex quibus nascuntur seditio, conspiratio, impatientia, oblocutio. Miles Christi procul à luxuria procul à lascivia.

Non in foro, non in plateis Chriſtus reperitur. Nequaquam igitur quærant Chriſtum, ubi inveniri non poteſt. Non eſt Chriſtus circumforaneus. Chriſtus enim eſt pax; in foro lites: Chriſtus juſtitia eſt; in foro iniquitas: Chriſtus operator eſt; in foro inane otium. Chriſtus charitas eſt; in foro obtrectatio. Chriſtus fides eſt; in foro fraus & perfidia. Chriſtus in Eccleſia eſt; in foro idola &c. *Hæc S. Ambroſius nonnullis mutatis. Miles Chriſti habeat hoc præmeditatum, ſibi acriter cum hoſte eſſe luctandum, imò ſe omnes dæmones, totumque infernum ad duellum & ſingulare certamen reipſa provocâſſe. Acerrimè verò diabolus infeſtat & vexat Religio-*

giosos & Virgines DEO dicatas; tum quod ipsorum heroica virtus dedecori sit dæmoni, qui ad eam aspirare noluit, ideoque ipsa sudes sit in oculis ejus, assiduè eum pungens & crucians; tum quod ægrè ferat DEum, quem pro hoste & tortore habet, ita ab iis coli & honorari; tum quod eorum virtuti & gloriæ invideat. Agite ergo, tolerate, durate, vincite, triumphate. Et quamvis opusculum hoc in meam præcipuè utilitatem & fructum spiritualem confeceram: accedente autem authoritate cujusdam magni Prælati (nam alioqui illud prælo subdere constanter detrectabam & excusabam) & nonnullorum Religiosorum monitione persuasus, jam alias Pelplini inceptum, hic tandem DEO

auspi-

auſpice abſolutum, commune facio. Utile dulci admiſcere volui ad delectationem pariter eruditionemq́; ut lectori voluptatem adderem juxta Poëtam:

6. Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Et aliud Poëtarum propoſitum ſecutus, de quibus canitur:

Et prodeſſe volunt & delectare Poëtæ.

7 *Averſor Ariſtarchos, qui ex aliorum cenſurâ famam aucupantur ſed falsò. Hoc velim Lector tibi perſuadeas, nihil hîc quam animæ tuæ ſalutem quæſitum eſſe. Si quid peccatum, patienter & prudenter corrige. Vale.*

Parce dignissime Author si Typographi fors inadvertentia commissi, emendati sint errores.

REPERTORIUM I.

FIDES.

CUm rari ſint homines prudentes ſimul & fortes, quia uti docet Ariſtoteles, prudentia conſiſtit in frigore, animoſitas & fortitudo in calore (hinc nemo prudens ſimul & audax) in duce belli potior & magis optanda eſt prudentia & calliditas quàm fortitudo. *Dux belli* inquit Vegetius, *callidior ſit quam audacior ut hoſtem per inſidias perdat ſine ſuo periculo.* Cùm ergo callidisſimũ habeamus hoſtem Diabolum, in quem omnes

animi ſenſus, oculos & nervos intendere debemus, ne incautos nos adoriatur, feriat & ſupplantet, hinc fides nobis neceſſaria, non illa langvida, nuda aut otioſa ſed viva, firma, fortis & generoſa. Et hæc eſt prima virtus non dignitate ſed naturâ, major enim eſt charitas; fides inquam eſt ſcutum ſeu clypeus, quo miles Chriſtianus in omni tentatione diaboli ſagittas & ſuggeſtiones excipere & retundere valet: fides inſtar ſcuti te proteget, omniaque hoſtium tela excipiet, præcedet te uti capitanei in acie ſuum habent præambulum. Fides prima eſt & dux atque incentrix omnium virtutum; nam ut quis ad DEum accedat, uti oportet, eumque ritè colat, debet credere quod ſit Deus, judex,

judex, vindex, & remunerator. Ab incredulis enim diabolus timetur ut leo, à fortibus in fide ut vermis contemnitur. Et hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra; resistentia quippe est victoria nostra, diabolus quandoquidem non vi cogendo extorquet, sed svadendo & blandiendo postulat à nobis concensum; quod si illum negemus vicimus: resistentia eum vincit, fortitudo subjugat, fides enervat. Fides enim futura præmia & pænas menti ad vivum repræsentans excitat hominem, ut pro iis generosè decertet utq; Dei opem ad fortiter præliandum imploret. Ita Job firmatum in Domino diabolus refugit, & infelicissimum Judam expoliatum fide vinculis captivitatis innexuit.

Non ſine dolore ſentimus hucusque quid effecerit ſolus ille Lutheri error, qui placentia plebi locutus, eam ad hanc perniciem, quam videmus traxit, Cui enim hominum ut ſic non placet concluſio. Sola fides juſtificat. Ad quid jejunia ? mortificationes ? bona opera ? Sunt merita Chriſti, nos in utramque aurem dormiamus. Caſtum eſſe impoſſibile eſt. Non igitur nos contineamus. Aliter S. Auguſtinus athletas Chriſti animat: *Adjuvat ait certantes, qui certamen indixit: non te ſic ſpectat DEus in agone certantem, ut populus ſolet athletam, clamore enim populus monet athletam, adjuvare non novit. Coronas parare poteſt, qui indixit certamen vires autem ſubminiſtrare non poteſt. DEus autem*

quan-

quando spectat certantes suos, adjuvat eos certantes , & invocantes. Hanc fidei firmitatem dæmon nobis eripere conatur ut fide destituti quasi cœci oberremus & inpingamus in ejus laqueos ; fides quippe est oculus animæ. Hac fide Enoch, quâ non tam humanam quam cælestem in terris vitam agebat, ut potius Deo & angelis quam hominibus jungendus esse videretur, translatus est ne videret mortem in paradisum videlicet terrestrem, qui ante diluvium adhuc supererat: vivebat bonus inter malos: hinc raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.

QUÆRES HIC PRIMO.

An locus & paradisi amænitas adhuc supersint. Resp. hoc qui-

dem curiosum est quærere & temerarium definire, certum tamen est locum superesse, de amænitate incertum est; nam probabilius usque ad diluvium extitisse paradisum in primæva sua amænitate, tempore vero diluvii cum aquæ per integrum annum totam terram occuparunt, omnes arbores, domos, urbes, quin & colles straverunt, paradisum quoque iis obrutum & dissipatum, interiisse. Adde quod nusquam jam Paradisus inveniri possit; cum tamen tota terra præsertim circa Mesopotaniam & Armeniam, circa quas Paradisus videtur fuisse, planè sit cognita & habitata. Et si forte peculiari Dei providentia intactus ab aquis diluvii servatus remansit, ab igne tamen confla-

gratio-

grationis mundi minimè immunis erit; tota enim terra & omnia quæ in ea ſunt, exurentur. Hinc diſce nulli rei terrenæ cor tuum affigere; quia omnis illa exurenda eſt ante diem judicii. Exurentur omnes flores, omnes gemmæ, omne aurum, metalla, equi, omnia jumenta, animalia, omnes plantæ, arbores, horti, omnia palatia, omnes picturæ, omnes agri, libri omnes bibliothecæ, atquin & S. ſcriptura. Et ſi ita ardebunt res inanimatæ & inſenſibiles, quæ culpa carent, quomodo ardebit cupiditas hominum tot culpis inquinata & ſcatens. Ite nunc mortales, ædificate palatia, arces, hortos adornate, erigite familias, titulos, aurum ſine fine congerite, deliciis affluite. Hæc

omnia vobiſcum brevi exuret ignis ille divinus.

QUÆRES II. Ubi ergo jam eſt Enoch & qualem agit vitam. Reſp. Enoch ante diluvium translatus eſt in Paradiſum: poſt diluvium verò quo inundatus & ſublatus videtur Paradiſus, degit in loco aliquo amæno, quem Deus illi ſive in aëre ſive in terra præparavit, ad quem poſt diluvium raptus eſt Elias: Ibi ergo ſimul agunt vitam quaſi beatam immunem à concupiſcentia & à noſtris ærumnis, in altisſima Dei contemplatione. Conſervantur autem à Deo per miraculum vivi & vegeti ſine cibo.

REPERTORIUM II.

SPES.

GAlea militis Chriſtiani eſt ſpes ſalutis obtinendæ. Sicut enim galea caput à quo cætera membra totusque homo pendet, tuetur ac communit: ita ſpes ſalutis & gloriæ cæleſtis ſervat & armat hominis cogitationes, fines & intentiones; quia videlicet facit ut ultimus finis noſter & intentio ſit Deus, fruitio Dei, ſalus & beatitudo æterna, eoque refert reliqua omnia cogitata dicta & facta noſtra. Unde homo cogitans bona illa immenſa quæ conſecuturum ſe ſperat, alias omnes cogitationes à diabolo ſuggeſtas repellit, hacque ſpe ardua quævis aggreditur, & animosè cum hoſte confli-

fligit : proponens ſibi gloriam illam ſperatam, quæ victorem manet. Atque hic eſt acer ſtimulus, qui ſanctos Heröes excitavit & etiamnum excitat ad audendum magna, ad res heroicas arduasque fortiter pro Deo vel aggrediendas vel ſuſtinendas. Sciebant enim ſe non confundendos: quia ſpes non confundit. Hac ſpe miles Chriſtianus ſuperat omnia naturæ non tantum difficilia ſed & impoſſibilia, & ſperando obtinet Dei opem, robur & victoriam. Hæc eſt anchora non quævis, ſed tuta firma, quæ inter tentationes, omnesque hujus ſæculi agitationes, quibus in hac vita quaſi navigantes jactamur, animum firmat & corroborat, ut ſolidus, immobilis, conſtans in fide ſtudio-

ſtudioque virtutis conſiſtat, ſed hoc diſcrimine, quod anchora in profundo jacitur, ſpes verò in ſummo ſcilicet in cælo Deoque ipſo defigitur. Nihil ita corroborat hominem in perſecutione & afflictione ſicut ſpes firma & certa, conſtansq́; perſvaſio, quod brevi illa afflictione liberabitur; non tamen qualis qualis ſpes requiritur, ſed vegeta, fortis exultans & glorians: hæc enim facit ut miles Chriſtianus in quantavis tentatione & tribulatione non nutet, non cedat, ſed conſtans, perſiſtat, fortiterque & generoſe omnia adverſa ſuperet & evincat, adeoque in iis lætetur & glorietur.

QUÆRES. Qualia erunt gaudia vitæ æternæ, quæ ſperamus.

mus. Resp. Audi S. Aug. (omissis nonnullis intermediis ne opus nimis excrescat, & lector defatigetur) *In cælo inquit est quidquid amatis, quidquid desideratis. Si delectat pulchritudo, fulgebunt justi sicut sol, si velocitas aut fortitudo, erunt similes Angelis. Si longa & salubris vita, ibi est sana æternitas, & æterna sanitas, si satietas, satiabuntur cum apparuerit Gloria Domini, si ebrietas, inebriabuntur ab ubertate domus Dei. Si melodia, ibi angeli sinè fine concinnunt Deo. Si potestas, introibunt in potentias Domini. Si honor & divitiæ, Deus servos suos bonos & fideles super multa constituet.* Hæc laus & honor non tantum consistet in visione beatifica, sed etiam in claritate nominis & famæ, omnes Angeli

&

& homines glorioſa cujusq; ſancti facinora deprædicabunt, honorabit eos Chriſtus, cum eos creabit Reges. *Si vera ſecuritas, certi erunt nusquam illud bonum ſibi defuturum. Quanta ibi erit felicitas ubi nullum erit malum. Ubi nulla neceſſitas turbat, nulla adverſitas anguſtat, nulla moleſtia inquietat, ſed perennis lætitia regnat. Si quæris quid ibi ſit ubi tanta & talis beatitudo perſiſtit? Aliter dici non poteſt, niſi quod quidquid boni eſt, ibi eſt: & quidquid mali eſt, ibi nusquam eſt. Non erit in te corruptela, nec defectus, nec ſenectus, nec ira, ſed pax perennis, gloria ſolemnis, lætitia ſempiterna. Non erit in te heri nec heſternum, ſed erit idem hodiernum. Nullus in te timor, triſtitia nulla, deſiderium omne tranſit in gau-*

gaudium, dum præsto est quidquid optatur & quidquid desideratur, abundat.

QUEM ergo in hac vita felicem dicemus, ubi eandem cum infima plebecula ſortem Regum Principumque capita adeunt? Ubi neque opes, neque inopia nec dignitas nec ſervitus à calamitatum onere eximunt: Ruſticus es? labores te obruunt. Princeps es? curæ te lancinant. Pauper es? indigentia te affligit. Dives es? deliciæ te enervant. Puer es? ignorantia te vilem facit. Adoleſcens es? ſtudium coarctat & diſciplina. Juvenis es? cupiditatibus jactaris aut opprimeris. Vir es? mille negotiis & quavis ſorte jactaris. Senex es? omnes in te langvores morbiq; ac mors deniq; funeſta impetum faciunt. RE-

REPERTORIUM III.

CHARITAS.

SIcut inter metalla eminet aurum, inter elementa ignis inter cælos empyreum cælum, inter planetas Sol, inter Angelos Seraphini: ita inter virtutes quasi Regina eminet & præcellit charitas. Telum ignitum ardens in DEum charitas, omni auro potabili præstantior; hâc solâ miles Christianus armatus, facilè sibi aperiet viam pericula cuncta insidiantium discutiet, difficultatum obstacula perrumpet, profligabit obstantes. Alexandri Magni axioma fuit: *Nihil tàm altè natura constituit, quo virtus non possit eniti.* Quocirca in Sogdiana regione rupem inaccessam, & à triginta armatorum millibus

libus incessam, obsidens, irrisus ab Arimaze rupis Præfecto, rogatusque *An Alexander volare possit? Faciam ait proximâ nocte ut credas Macedones volare.* Itaque 300. juvenes fortissimos ingentibus promissis excitatos, per prærupta saxa & invia à tergo in rupis verticem clam conscendere fecit; & ita rupem occupavit, Arimazem cruci affixit. Quid jam arduum, quid difficile quid impossibile censeat generosus Christi miles, cui hoc axioma à Christo proponitur, *nihil tàm altè natura constituit, quo gratia Christi non possit eniti?* Confidite, nolite timere: ecce ego vobiscum sum, cum Alexandrum Christianum Paulum, inquam, intuetur & audit. *Omnia possum in eo qui me corfortat: & quis nos separabit*

rabit à charitate Christi? In hac tanquam vinculo perfectionis omnes aliæ christianæ virtutes quasi in centro colligantur & uniuntur, ut, si charitatem tollas, virtutes diffluant & tota perfectio virtutum pereat. Sine hac nihil sunt cætera, nam si charitatem non habuero nihil sum, nullius pretii, nullius gratiæ coram Deo; Ubi enim deliquium patitur charitas, in ejus locum odium succedit. Quodsi Deus charitas est, sine dubio necesse est diabolum odium esse. Ecce aurum potabile paratu haud difficile, usu haud injucundum. Quid enim facilius, quâm amare bonum optimum? quid jucundius, quàm illi per amorem sociari & velut per amplexum frui? Hujus pulchritudo nunquam

quam deformatur, bonitas nunquam deficit, voluptas nunquam exhauritur. Certissimum mortis antidotum, vitæque præsidium est ama & non morieris, etiam dum morieris vives, nec in tempore solùm sed æternitate. Ea est aurum radiantissimum, quo cælestia emimus bona: ignis est cælestis, qui animas omnium circa se inflammat: empyreum cælum est, in quo habitat Deus & Beati: Sol est, qui omnia illuminat, fæcundat & vivificat: Seraphica virtus est, quæ Seraphinos ardentes efficit. Quod est in navigio gubernator, quod in civitate magistratus, quod in mundo Sol; hoc inter mortales est amor. Navigium sine gubernatore labescit, civitas sine magistratu periclitatur, mundus sine Sole

Sole tenebricoſus efficitur, & mortalium vita ſine amore vitalis non eſt. Tolle ex hominibus amorem, Solem è mundo ſuſtuleris.

PETES. An charitas ſit radix, norma & menſura meriti: Reſpondeo quod ſic. DEUS enim non tam conſiderat quantum, quàm ex quanto faciamus. V. G. Ex quanta charitate zelo &c. ex iis enim opus ſuam vim, valorem, & meritum ſortitur. Qua in re errant plerique: putant enim meritum conſiſtere in magnitudine operum cum in eo non conſiſtat, ſed in magnitudine charitatis. Fac opus parvum magna charitate, plus mereberis quam is qui facit opus magnum ex parva charitate.

RE-

REPERTORIUM IV.

ORATIO.

HÆc militi Christiano est præsidium, Deo sacrificium, dæmoni flagellum: oratione copiæ auxiliares evocantur, Dei scilicet & Angelorum: oratio vires internas impetrat pariter & externas. Sanè contra omnes concupiscentiæ motus & tentationes, nullum est præsentius & efficacius remedium quàm oratio, qua nostris diffisi viribus, Dei opem humiliter & ardenter imploramus. Dæmon id sciens, ut hæc arma militi Christiano eripiat, solet ei injicere alias cogitationes ut ad humana auxilia respectet, ac Dei & orationis obliviscatur. Qui ergo sapit ilico ut sentit concupiscentiæ stimulum, ad

ad Deum mentem attollat, ejusque opem per B. Virginem imploret, & statim illam sibi adesse sentiet. Unde oratio magis necessaria est militi Christiano, quàm cætera arma, Deus enim est qui in omni tentatione & conflictu dat victoriam, illius ergo gratia & adjutorium maximê per orationem est implorandum. Miles Christianus vincet diabolum & omnes hostes, si assiduum comitem & propugnatorem habeat orationem. Quis enim justorum non orando pugnavit? Quis hostem non orando devicit? oratione cadunt hostes, inimici vincuntur. Licet colloqui cum Deo orando licet cum eo fabulari cum velis, licet precibus mercari quod optas. Et quamvis vocem ejus audire non possis, tamen dum

dum id quod petis accipis, colloqui tecum etsi non verbis, nihilominus beneficiis dignatur. Quid plura? hâc vincis invincibilem, ligas omnipotentem, aperis cælum, fugas diabolum, hæc quasi cogit Deum dare quod petitur. Talis autem energia, efficacia, intentio & contentio requiritur in oratione, qualem in studio adhibet studiosus, in fabrica architectus, in prælio miles & dux ut victoriam obtineat; ut videlicet ab animo & spiritu ardenti & vehementi incitata & quasi animata ardens sit & vehemens, ac ardentia suspiria quasi pilas è tormento bellico ignitas in cælum ejaculetur, quibus Deum feriat & quasi sauciet, cogatque dare quod flagitet. Talis oratio erat S. Catharinæ Se-

nen-

ſtenſis quæ obſecrans dicebat: *Domine non diſcedam, non te dimittam, donec mihi hanc illamvè rem &c. dones.*

QUÆRES PRIMO. Quomodo quis ſemper orare poſſit. quandoquidem Apoſtolus vult, ut omni tempore oremus. Erant olim hæretici qui docuerunt chriſtianum non debere laborare, nec aliud agere, quam ut ſemper oret. Sed hoc dogma ſtolidum eſt & impoſſibile.

Dicendum ergo, quod is qui bene ſemper agit, ſemper oret: Per omnem enim virtutem Deo conjungimur quod eſt officium orationis. Inter alias autem virtutes maximè nos Deo conjungit religioſa & pia intentio; ſi videlicet omnia opera noſtra

etiam

etiam manualia & fabrilia ad Dei gloriam referamus, ea ſcilicet faciend° eo fine ut Deus per illa honoretur. Hinc multi pii & ſapientes viri initio ſtudiorum, comeſtionis & operum ſuorum orant & per orationem ſtudia comeſtionem & opera ſua Deo offerunt. Id valdè conſulendum laicis, ſimplicibus mechanicis & agricolis hi enim multa opera laborioſa ſæpè faciunt ſine merito, quia vel non formant intentionem vel tantùm lucrum aucupantur, qui ſi doceantur inſuper ea referre ad Deum, Deique obſequium & gloriam, longe majora lucra apud Deum in cælis quàm apud homines in terra ſibi comparabunt. Quærit S. Baſilius, quomodo quis manducat & bibit ad gloriam Dei?

Et respondet. *Si Beneficiorum Deì memor, ita animo & corpore sit compositus, ut non tanquam securus omnino manducet sed ut qui inspectorem habeat Deum: & si proponat, non ut ventris mancipium ob voluptatem manducare, sed ut operarius Dei, ut vires habeat ad fortius ei serviendum;* quod sanè facere & consuescere deceret omnes non tantùm religiosos, sed & Christianos verosq́ue Dei cultores.

Ad Abbatem Lucium uti in vitis Patrum, cum quidam fratres advenissent requisivit eos senex dicens: *Quid soletis manibus vestris operari At illi dixerunt; nos nihil manibus nostris operamur, sed secundum quod dicit Apostolus sine cessatione oramus.* Quibus senex dixit? *non manducatis?* At illi professi

ſunt: *etiam*, Dixitque eis: *quando ergo comeditis quis pro vobis orat?* At illi conticuerunt, & iterum requiſivit eos, dicens: *Numquid dormitis?* cumque illi ſe dormire dixiſſent, dixit eis: *quando ergo dormitis quis orat pro vobis?* & non invenerunt quid reſponderent ei. Tunc dixit eis: *Indulgete ergo mihi, quoniam non facitis ſicut dicitis. Ego autem dicam vobis, quemadmodum manibus meis operans ſine ceſſatione oro. Sed eo enim de mane uſq; ad horam conſtitutam, & pauca palmarum folia infundo, & facio exinde funiculos, & interim oro dicens: Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam. Cumq; complevero opera manu-*

manuum mearum & fecero aliqua vaſa aut paucos funiculos, & emero ex eis nummos decem, ex ipſis nummis duos do pauperibus, & reliquos comedo. Quando ergo comedo aut dormio, tunc illi pro peccatis meis ſine ceſſatione impleant orationem meam.

QUÆRES II. Utrum utilius ſit orare pro aliis quam pro ſe. Reſp. Utilius eſt oranti orare pro aliis quam pro ſe ſolo. Primo quia libentius ſacrificium orationis accipitur, cum in conſpectu miſericordis judicis proximi dilectione conditur; quare communibus & alternis plus agimus orationibus, quam ſingularibus, aut privatis. Secundo quia dum ſinguli orant pro omnibus, etiam omnes orant pro ſingulis,

adeoque Deum sæpe iis tribuere, quod nostris quia indigni sumus, non tribuit orationibus. Tertio. Sicut nummus unus non habens justum pondus, si detur, creditori ab eo rejicitur, sin verò multis aliis misceatur, acceptatur, transitque cum cæteris: ita & oratio solitarii, si sit tepida, vaga, negligens, rejicitur à Deo: sin verò multis aliis ferventibus jungatur, aurum vi & quasi alis attollitur, & in cœlum ad Deum evolat.

REPERTORIUM V.

PAUPERTAS.

SI vis vacare animo aut pauper sis oportet aut pauperi similis. Paupertas non subjacet demonibus, non assistit regi, sed assistit Deo,

Deo, anima pauperis voluntarii fulget ut aurum, ſplendet ut gemma, effloreſcit ut roſa. Non eſt illic tinea, neque fur. Verè Poëta dixit:

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Uberrima terra eſt paupertas, in qua ſi ſeras, centuplum accipies. Appoſitè lib. I. in Job Origines: *Non ridebit inquit de me diabolus. Nudus exivi de utero matris meæ, nudus ibo ſub terram. Nihil habui cum veniſſem; nihil requiro cum ièro. Nihil attuli natus; nihil auferam ſublatus. Nudus ibo, nudus peculiò, ſed & peccato: nudus divitiis, ſed & impietatibus. Nudus ſubſtantiâ, ſed & injuſtitiâ. Non comitantur mecum neq́ malignitas, neq́ iracundia, neq́ ſuperbia, neq́ cupi-*

cupiditas, nudus ero. Non ſum ut illi, de quibus dicitur: quia non habuerunt tegumentum, inferno veſtiti ſunt: nudus malis omnibus ibo, bonis vero omnibus indutus, juſtitia veſtitus, ſanctitate circumdatus, charitate ornatus, miſericordia & bonis operibus coronatus. Beati ſunt & beati erunt ô glorioſe Job, qui te imitati fuerint, omnes qui poſt te cum fiducia potuerunt dicere; nudus exivi de utero matris, nudus & ibo in terram. Væ autem illis qui nudi venerunt, innumeris autem injuſtitiis & impietatibus prægravati ibunt in terram: tales veſtientur calamitate & miſeria in die juſti & perſonam non accipientis judicii Dei.

Quid eſt glorioſius homini, quam ſua vendere & Chriſtum emere? Pauper in cella, dives in con-

conſcientia, ſecurior dormit in terra, quam auro dives in purpura. Honeſta res eſt læta paupertas; illa verò non eſt paupertas, ſi læta eſt: cui enim cum paupertate benè convenit, dives eſt; non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Unde S. Chriſoſtomus: *Nonne inquit in hoc ab Angelis differimus, quod ipſi non egent ut nos? Igitur quanto paucioribus indigemus, tanto magis Angelis appropinquamus: quanto pluribus, tanto magis ad hanc caducam vitam deflectimus.* Et S. Hieronymus: *Difficile inquit imo impoſſibile eſt, ut præſentibus quis & futuris fruatur bonis: ut hîc ventrem & ibi mentem expleat: ut de deliciis tranſeat ad delicias ut in utroq́ ſeculo primas ſit ut in cælo & terra appareat glorioſus.*

Quisque ſua ſorte tam modico tempore contentus vivat, quia non plus opum dives ex hac vita exiens ſecum efferet, quam pauper; non plus Rex vel Princeps quam faber vel agricola. Quid enim ſunt opes niſi maſſæ terræ, terræ affixæ, & in terra ſemper manſuræ? quid eſt aurum niſi terra rubra? quid argentum niſi terra alba; quid ſunt margaritæ niſi excrementa concharum? quid eſt purpura niſi ſanguis fædi oſtrei? quid byſſus niſi fædus humor bombycum ab iis è viſceribus eductus, & in lenta fila deductus. Unde S. Chryſoſtomus: *Candore inquit lucentis margaritæ attraheris? cogita maris eſſe aquam, & in ejus finibus ante jacuiſſe dejectam. Rapit animum auri fulgor & nitor*

nitor argenti? cogita terram ac cinerem ea priùs fuisse & modo esse. Placet pretiosa & serica vestis? at vermium ille contextus est, opinio est & humana præsumptio: nihil habet in se naturalis pulchritudinis. Hæc quidem magni fiunt, non quod magna sint, sed quod homines hæc magni faciant: auro enim & argento ac pecuniæ pretium dat existimatio hominum. Talis cogitatio mirè omnes milites Christianos excitare potest ad hanc sufficientiam, si nimirum cogitent, omnes nos ea lege nasci ut parum in vita commorati protinus ab ea exeamus. Audi Senecam: *Quotidie ait morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & nunc quoque cùm crescimus vita decrescit, infantiam amisimus: deinde pueritiam, deinde*

adolescentiam, usq; ad hesternum quidquid transiit temporis periit: hunc ipsum quem agimus diem cum morte dividimus. Idem. *Nemo nostrum idem est in senectute qui fuit juvenis: Nemo est mane qui fuit pridie, corpora nostra rapiuntur fluminum more, nihil ex iis quæ videmus, manet.*

QUÆRES I. An pauperes divitibus feliciores esse possunt. Resp. Falluntur qui felicitatem nonnisi in apice rerum humanarum sitam putant, ad caulas hæc etiam agrestesq; hominum societates descendit. Mediocritas optima est felicitatis nutrix. *Quæ superfluunt ait* Seneca *nocent: Sic segetem nimia sternit ubertas; sic rami onere franguntur; sic ad maturitatem non pervenit nimia fæcũditas.* Vis ex ipsa veri-

veritate intelligere, qui verê felices ac beati in hac vita ſint? Chriſtum audi : *Beati pauperes quia veſtrum eſt regnum DEI.* Præclarè S. Auguſtinus : *Si regnum cælorum eſt pauperum, reſtat ut infernus ſit divitum*; illorum videlicet qui in ſuis opibus ſpes ſuas defigunt, putantes ſibi omnia licere, ac proinde pauperes eſſe quaſi ſervos & mancipia. Talem igitur hominis conditionem, ſi cum ſorte divitis illius epulonis componas, an ab ipſa ſapientia quæ Chriſtus eſt, diſſentire audebis?

QUÆRES. II. Cur Deus ad regnum elegerit pauperes potius quàm divites? Reſp. 1. Ideò, quia id requirit æqua & apta diſtributio donorum ut qui carent terreſtribus, abundent cæleſtibus & vi-

ce versa. 2. Quia divitiæ sunt fomites & incitamenta, luxuriæ, omniumque vitiorum, quibus itur in gehennam: paupertas verò suggerit materiam humilitatis, sobrietatis, castitatis, quibus tenditur ad gloriam. 3. Elegit pauperes potius, ne si eligeret Senatorem, diceret Senator, dignitas mea electa est, si eligeret divitem diceret dives, opulentia mea electa est, si Regem, diceret Rex, potestas mea; si Oratorem, Eloquentia mea; si Philosophum, sapientia mea electa est. 4. Quia pauperes contemptu mundi, emunt â Deo cælum, Deus ergo eis est debitor. Cùm enim omnia propter Deum reliquerint, par est ut DEUS iis suum regnum rependat. 5. Quia Deus vacuum requirit cor, pau-

perum

perum autem corda ſunt vacua; divitum verò plena divitiis: illa ergo capacia ſunt gloriæ & gratiæ, hæc verò incapacia, dives quippe habet cor in ære, quo pauper caret, illudque transfert in æthera.

REPERTORIUM VI.
CASTITAS.

BAltheus ſeu cingulum militare caſtitatis & continentiæ eſt ſymbolum, creſcit illa mirè per continuam luctam cum ſtimulo carnis eum aſſiduè comprimens & ſubjugans. Rectè S. Bernardus: *Parcitas ait in ubertate*, largitas in paupertate, caſtitas in juventute, martyrium eſt ſine ſangvine. Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.

Hi ſunt duo belli duces, qui aſſiduò inter ſe confligunt, ſuosque milites in aciem educunt, nimirum concupiſcentia educit omnes paſſiones, ſenſationes, imaginationes & membra; ſpiritus educit fidem, ſpem, charitatem, omnesque virtutes morales, quæ cum concupiſcentiis ſingulis decertant. Hæ concupiſcentiæ in membris noſtris ita militant ut dominentur quoad actus ſubitos & indeliberatos, qui rationem & libertatem præveniunt; quoad actus verò humanos liberos & deliberatos non dominantur, ſed tàm ipſæ quàm membra ſubſunt, voluntati, & libero arbitrio à quo reguntur non deſpoticè uti brutum regitur ab homine, ſed politicè, uti, religioſus à ſuo ſuperiore, civis à magi-

ſtratu

ſtratu, cui contradicere & reluctari poteſt. Si ergo non es delicatus miles, ſi putas te non poſſe ſine pugna vincere, ſine certamine triumphare, fortiter dimica, atrociter in prælio iſto concerta, apprehende duplex ſcutum, primum eſt præſentis Dei memoria, amor & timor; ſi nimirum cogites tum Dei præſentiam, Dei judicium, Dei vindictam & infernum, tum Dei bonitatem, pulchritudinem, & delicias, ſecundum, eſt fuga occaſionum & tentationum. Sic enim fugit Joſeph relicta chlamyde. Hæc ſunt certamina militum Chriſtianorum, hæc ſola duriora ſunt prælia, ubi quotidiana eſt pugna, hic militibus chriſtianis quotidiana martyria deeſſe non poſſunt. Virtus hæc eſt nota Eccle-
ſiæ

ſiæ veræ; omnis enim hæreſis putat ſibi eſſe impoſſibilem caſtitatem; ſolis catholicis fide vera Deique gratiâ præditis poſſibilis eſt. Hinc apud hæreticos non eſt invenire virgines & virginum contubernia, nec religioſos & monaſteria, imò nec ſacerdotes aut cælibes miniſtros.

QUÆRES PRIMO, Quomodo continentia & caſtitas inter ſe differunt. Reſp. Continentia in luctamine eſt, caſtitas in pace, non enim caſtitas ſed continentia dicitur, ubi ei adhuc reſiſtit adverſitas voluptatis; continens quippe vitiorum omnes illecebras & tentationes frænat ac cohibet, unde ipſa potius & inchoata, militans ac pugnans caſtitas.

QUÆ-

QUÆRES II. An is qui habet donum caſtitatis in eaque à Deo confirmatus, tenetur pericula vitare. Reſp. Quod ſic. Non tantùm ſtudiosè tenetur vitare tentationes & pericula, ſed etiam carnem ſuam ſeverè macerare, & acerbe caſtigare, ſine hoc difficile & quaſi impoſſibile eſt ſervare caſtitatem. Hoc S. Paulus fecit. Et ratio eſt, quia cælibatus in cujusque eſt poteſtate, ſi tamen Dei gratiam invocare, eique cooperari velit.

QUÆRES III. An concupiſcentia ſit ſemper peccatum. Reſp. 1. Motus concupiſcentiæ qui rationem præveniunt, ideoque omnino ſunt involuntarii. V. G. Titillatio gulæ, libidinis, iræ, vindictæ, ſuperbiæ, antequam eos ratio

tio advertat, nulla esse peccata. Ratio est, quia tales motus non sunt in nostra potestate, ut eos evitare possimus, imò tales actus non sunt humani actus, id est liberi, qui à ratione advertente & consentiente procedant, sed sunt actus imaginationis & appetitus sensitivi. 2. Concupiscentia seu appetitus sensitivus rem concupitam ad vivum rationi & voluntati repræsentans ac faciens eandem iterum iterumque cogitari, inspici, animo volvi. Nunc cogitans illud amplecti, nunc cogitans illud refutare, & ita secum luctatur, & animo fluctuat, peccat semipleno consensu, quia sequitur delectatio in voluntate; quia tamen homo nondum plenè advertit hoc esse grave malum quod DEum graviter

ter offendat, peccat venialiter ex indeliberatione. Si autem 3. pergat in hac rei concupitæ cogitatione & delectatione & pleno voluntatis consensu consentit, eique dat manus, tunc est peccatum mortale. Qui ergò tales suggestiones vult vincere, imaginationem cohibeat, & à concupiscibilibus violenter avertat, quod est magni meriti.

REPERTORIUM VII.

OBEDIENTIA.

TEssera militis christiani est obedientia erga suos superiores. Hæc est spontanea mors, sepulchrum voluntatis securum periculum, immediata ad Deum excusatio, tuta navigatio. Cedendum

dum potius voluntati ſuperiorum, ſicut lutum obſequitur ſuo figulo; melior quippe eſt obedientia quàm victima: quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Verus obediens nec præceptorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit; quia qui omne vitæ ſuæ judicium majori ſubdidit, in hoc ſolo gaudet, ſi quod ſibi præcipitur operatur: Quia hoc tantum bonum putat, ſi præceptis obediat ſuperiorum; ſuperior namque eſt viva Dei in terris imago, & quaſi vicarius Dei: quocirca qui eum violat, Deum violat. Rogatus quidam vir doctus; quâ ratione diu poſſit conſiſtere communitas? Reſpondit, ſi inferiores obtemperent ſuis ſuperioribus, ſupe

ſuperiores legibus, unde religioſi vocantur propriè filii obedientiæ, quia ei ſe devoverunt. Sicut ſine duce non confiditur de victoria, ſine gubernatore non pervenitur ad portum: ita absque obedientia impoſſibile eſt in vitæ hujus pelago non periclitari, illa enim facit militem triumphare. Et ſicut charitas plena non eſt qui hunc amat, non illum: amicum non inimicum, civem non externum: ita obedientia plena non eſt, cum quis huic ſuperiori vult obedire non illi, cum quis juſſa ſibi grata & placentia lætè amplectitur, non verò ingrata & diſplicentia.

QUÆRES. A quibus nos ergo libertas Chriſtiana quàm prædicârunt Apoſtoli, exemit? Reſp. Exemit nos Chriſtus non ab obedien-

dientia decalogi ; legum, Prælatorum, ſuperiorum non ab operibus pænitentiæ, ſatisfactionis, non ab obligatione votorum, ut moderni novantes volunt talis enim exemptio eſſet irrationalis, animalis, carnalis & contra omne jus naturæ, contra omnem rationem, ſed exemit nos à ſervitute tum legis veteris tum peccati, diaboli, concupiſcentiæ, vitiorum æternæ mortis.

REPERTORIUM VIII.

PATIENTIA.

PErfectio obedientiæ eſt patientia, ſi videlicet patiatur humiliter & hilariter ſuperiorum ſuorum aſperitatem, reprehenſiones, jurgia, quin & minas, ac verbera.

Patien-

Patientia enim & obedientia ſunt duæ alæ, quibus miles Chriſtianus evolat in cælum. Plerique ſi pro culpa patiantur, patienter ferunt; ſi inculpati patiantur, murmurant; itaq; bonum innocentiæ perdunt per culpam impatientiæ, cum potius illud augere & ornare deberent merito patientiæ. Sic Socrates damnatus ad mortem cuidam comploranti dicentique: *Innocens morieris. Quid inquit num me nocentem mori malles?* Unde Tertulianus: *Si apud Deum inquit depoſueris injuriam, ipſe eſt ultor: Si damnum, eſt reſtitutor: Si dolorem, medicus eſt: Si mortem reſuſcitator.* Nulla virtus conſiſtere poteſt ſine patientia, vera namque humilitas eſſe nequit, niſi per patientiam toleret contemptus & probra,

probra: vera paupertas esse nequit; nisi per patientiam toleret inopiam, famem, sitim: vera charitas esse nequit, quæ per patientiam non tolerat infirmitates proximorum quin & hostium. Virtutes sine patientia sunt id, quod murus sine calce & cæmento, qui proinde ilico ruet. Ac proinde impatiens duro tyranno durè servit instar mancipii, non enim possidet suam animam, sed cum ipsa possidetur ab ira & impatientia & consequenter à satana. Eia milites induite patientiam hæc vobis erit thorax impenetrabilis, quo omnia hostium tela elidatis: hac armati alacres in media persecutionum omnium certamina irruetis, unde sequitur mira animæ, plenumque sui dominium: Merito

igitur Traianus Imperator videns S. Ignatii ardores ad martyrium, dixit: *Nulla gens pro Deo ſuo tanta toleravit atque Chriſtiani pro ſuo Chriſto.*

Pasſiones, cruces, perſecutio. nes & ærumnas noſtras non carni, non hoſti, non ſuperioribus, ſed Deo adſcribere debemus. Ipſe enim ab æterno eas præſcivit, imo prædeſtinavit, ut per eas quisque conformetur Chriſto Deus qui omnia conſtituit in numero, pondere, & menſura, ipſe ab æterno cuique diligenti ſe ſuam crucem definivit & limitavit, ut tantum non minus, nec amplius pateretur. De auro & argento chimico Philoſophi non conſentiunt, ſunt qui negant, ſunt qui affirmant id fieri poſſe ſed

mediocri bonitate, quæ metallis nativis non conveniat, faciunt enim aliquid ſimile auro quantum ad accidentia exteriora, ſed non faciunt verum aurum, quia forma ſubſtantialis auri non eſt per calorem ignis quo utuntur Alchymiſtæ ſed per calorem ſolis in loco determinato ubi viget virtus mineralis. Verùm myſticè omnino verum eſt: lapis enim philoſophicus eſt patientia, quæ in juſto conſumit omnes affectiones carnales, & quidquid in eo terrenum eſt & feculentum ut fiat purus, ſubtilis, ſpiritalis. Quod eſt ignis auro lima ferro. ventilabrum tritico, lixivium panno, ſal carni, hoc militi Chriſtiano tribulatio cum patientia. Videtur cauterium eſſe vulnus, ſed revera

ra est remedium vulneris: ita vexatio malum esse videtur, sed revera malorum est remedium. Quocirca Gentiles videntes & admirantes tantam patientiam Christianorum militum per eam ad fidem Christi convertebantur. Dictitabant enim, virtutem tam heroicam & perfectam, non posse manare à natura, sed à Deo solo, ejusque fide & gratia.

QUÆRES I. Utrum patientia sit efficax antidotum contra omnes morbos etiam corporales.

Resp. Qui ex ordine podagricorum chiragricorum, ischiaticorum aliorumque morborum incurabilium sunt, præsentissimum sciant esse remedium patientiam; cujus pretium & virtutem si quis nesciat hunc ad Gymnasium Pati-

entiæ à R. P. Hieremia Drexelio eruditè conſcriptum invito, hoc in Gymnaſio niſi podagrici nomen ſuum profiteantur bis imo ter miſeri ſunt. Poeta duobus verſibus ejusmodi invitat.

Antitodum vitæ patientia: Sola malorum
Victrix: ſi benè vis vivere, diſce pati.

Meminerit autem talis, ſi ſua intemperantia cauſam dederit, quam juſtas hîc Deus pænas exigat, quamque etiam miſericors est, ut in æternum parcat. Si autem citra culpam ſuſtineat, hoc ſolatium in doloris lenimentum admittat; quod Deus omnem filium quem amat, caſtiget.

QUÆRES II. Utrum non ſit aliud facilius remedium. Reſp.

Est paupertas. Si salutem à podagra chiragra cupis, aut pauper sis oportet, aut ut pauper vivas, Podagra apud Italos, Hispanos, Germanos, Polonos, Gallos aliasque gentes notissima utpote per omnes peregrinata nationes, quantumvis pedibus clauda videtur, præcipuè tamen procerum, divitumque domibus delectatur, vel ubi Bacchus hospitatur: vilem & tenuiorem plebeculam plerumq; aspernatur.

REPERTORIUM IX.

HUMILITAS.

CAlceatus humilitate miles Christianus, contra omnes diabolo vel fallaces insidias vel apertas minas intrepidus stabit, tam paratus semper ad repugnan-

dum, quam eſt ad impugnandum paratus inimicus. Humilitas autem eſt mater pacis: unde humiles in continua ſunt pace, cum inter ſuperbos ſemper ſint jurgia. Sicut humilis Deo eſt ſimilis, ſic ſuperbus cum ſit Deo odibilis, diabolo eſt ſimilis. Vis eſſe humilis, Dei voluntatem adimple. Audi S. Cyprianum: *Voluntas Dei eſt humilitas in converſatione, ſtabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis juſtitia, in operibus miſericordia, in moribus Diſciplina, injuriam facere non poſſe, & factam poſſe tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere: amare in illo quod pater, timere quod Dominus eſt; Chriſto omnino nihil præponere quia nec nobis ipſe præpoſuit.* Qui terram & cinerem

rem se esse novit, & post paululum in pulverem dissolvendum, qui Dei æternitate perspecta, breve & penè ad puncti instar humanæ vitæ spatium cogitaverit, ante oculos suos semper habebit interitum, procul dubio erit humilis atq; dejectus. Omnis autem humilitas non tam in sermone quam in mente est: Sit vita tua excelsa, spiritus autem humilis; ut humiles nos esse conscientia noverit, & nunquam nos vel scire vel intelligere vel esse aliquid æstimemus. Vis scire vilitatem tuam & teipsum noscere? perge ad domum figuli ad contemplandam tuam matricem & originem scilicet lutum, & humiliaberis, discesque omnes homines esse in manu Dei sicut lu-

tum eſt in manu figuli. Quid enim eſt homo? Eſt imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium; nullum enim vitæ ſpatium habet aut metu liberum, aut calamitatibus vacuum, aut mæroribus ſolutum. Hinc homo mox ut naſcitur, flere incipit. Et quis non fleret, ſi videret omnes dolores & ærumnas ſibi in vita ſubeundas? Quid eſt homo? Eſt fortunæ luſus, inconſtantiæ imago, mancipium mortis, pila quâ ludit Deus, eſt ſperma fætidum, ſaccus ſtercorum, eſca vermium, umbræ ſomnium, eſt lucerna vento expoſita, quæ cito extingvitur, eſt ſcintilla in mari, quæ citò ab undis ſorbetur, eſt loci hoſpes, calamitatis fabula, corruptionis ſpeculum, viator tranſiens, quaſ-

ſum

ſum & fragile vas ad omnem fortunæ contumeliam projectum frigoris & laboris impatiens. Odor illi ſaporque & laſſitudo & vigilia & humor & cibus ſine quibus vivere non poteſt homo, mortifera ſunt. Quid denique eſt vita noſtra? quid regnum? quid gloria? vapor eſt, ſomnium eſt, folium eſt. Optimè comparatur homo cum arborum foliis, quæ modo vireſcunt, modo areſcunt; nunc pulchritudine decorantur nunc à vento rapiuntur. Quisquis ergo mortalis es conſidera corporis tui conditionem quam vile quam fragile, quam luteum, quot morbis & doloribus obnoxium quot fruſtulis compactum, quantis ſordibus inſtar latrinarum oppletum & diſce humiliari. Ar-

matura tutissima ô milites Christiani ad instar loricæ est humilitas quâ assiduè cor & pectus undequaque obarmetis, ut non tantum bello defensivo diabolo resistatis; sed & offensivo acres illi plagas & dolores infligatis. Opera enim bona flagellant & cruciant dæmonem: nimirum uritur nostra humilitate ejus superbia, nostra patientia & injuriarum condonatione ringitur ejus ira & impatientia, nostra dilectione & obsequiis pungitur & configitur ejus invidia.

QUÆRES I. Quæ sit diaboli calliditas. Resp. Ea est 1. quod loca minimè munita observet, ut per ea irrepat ad arcem cordis & animæ; qui non custodiunt oculos & aures suas iis species

cies mulierum, verba lasciva ingerit, quibus phantasiam & voluntatem nostram in libidinem alliciat. 2. Nunquam aperta peccata homini objicit, sed ambagibus utitur; & non irrumpit subitò sed sensim irrepit. Adhæc vitia specie ac nomine virtutum colorat. Sic ebrietatem proponit & vocat hilaritatem, homines obscenos vocat lepidos, superbos vocat animosos, multa mentitur, falsa adjungit, vera subducit. Denique sensim à minoribus ad majora hominem sollicitat: in comestione ponit gulam, in potu ebrietatem, in conversatione invidiam, in correctione iram, in præsulatu superbiam, in corde ponit cogitationes malas in ore locutiones falsas: in vigilando movet ad pra-

va opera, in dormiendo ad somnia turpia, lætos movet ad dissolutionem, tristes ad desperationem. Scrutatur qua infirmitate, quo vitio, qua proclivitate quisque laboret, & per illam eum aggreditur. Hinc superbum non tentabit libidine sed honoribus, gulosum non honoribus sed deliciis, avarum non deliciis sed pecuniis; huic infundit virus invidiæ, hunc mærore conturbat, illum metu opprimit, omnium discutit consvetudines, ventilat curas, scrutatur affectus & ibi caussas quærit nocendi, ubicunque viderit studiosius occupari.

QUÆRES II. Quale peccatum Luciferi & Angelorum fuerit. Respnt. Doctores fuisse superbiam; voluit enim fieri Deus, non per

per essentiam ut scilicet creatura in creatorem, Lucifer in Deum transmutaretur (hoc enim sciebat fieri non posse esseq; impossibile, imo involvere contradictionem) sed per unionem hypostaticam Verbi, ut illa uni ex Angelorum ordine puta sibi tanquam Principi Angelorum, non homini alicui videlicet Christo conferretur: unde invidebat Christo homini & naturæ humanæ hanc mediatoris dignitatem, sibi hoc mediationis officium ambivit, ideoque alios ad sibi consentiendum sollicitavit. Mox ergo ut in cælo peccarunt à Deo damnati sunt, detracti catenis infernalibus in tartarum ibidem cruciandi, facti folles & fomenta gehennæ. Porro idem ille ignis inferni, dæmones quocunque

que terrarum vagantes detinet; ita ut activitatem ejus nusquam effugere possint. Ubi vide quanta sit gravitas peccati præsertim superbiæ, quæ Angelos in dæmones commutavit. Qui igitur cogitat, Deum tribus digitis appendere molem terræ, se in manu Dei esse instar pulicis aut culicis, se manu Dei ambiri & contineri, ut eam non possit evadere, quomodo sub potenti manu Dei usq; ad infernum non se humiliabit?

REPERTORIUM X.

TEMPERANTIA.

Vita militis Christiani est vigilia: excubare enim debet inter tot hostes, quibus undiq; cingitur. Temperantia facit nos vigiles,

giles, alacres, & ad omnes functiones expeditos, omniaque pæne morborum genera pellit: sicut enim ebrietas venterque satur & plenus ineptus est ad iter, ad opus, ad prælium, ad obsequium; ita ad hæc omnia paratus est sobrius & temperatus. Temperantia est mater sanitatis, sapientiæ, castitatis, ideoque Deo & angelis amica. Hæc inquam sanitatem tuetur, vitam prolongat, caput facit serenum, spiritusque animales facit liberos & puros aptos ad speculandum & meditandum: intemperantia vero nihil aliud quam mater somni, ignaviæ, & ideo diabolo grata: Diabolo enim nemo magis amicus est, quam qui deliciis & intemperantia maculatur. Esca res caduca

est

est & vilis, adhoc facta, ut in ventrem projiciatur: venter autem vilissima pars hominis tantum est ad hoc, ut escas coquat, digerat, egerat, corrumpat, estque vas sordium. Et corpus quod corrumpitur, aggravat animam, anima enim omnes corporis fœtores, phlegmata, excrementa, sordes, æque ac bestiales cupiditates sentire ac pati debet, perinde ac si cadaveri foret colligata; tolle animam, quid est corpus aliud quam cadaver? imo præsente anima corpus fœtet, sordet, tabescit, putrescit, ac si cadaver esset. Quis non optet hoc cadavere, hisce vinculis solvi ac liberari? A gula ergo debellanda militi Christiano incipiendum est: ea enim debellata facilius cætera vitia profligabit,

bit, dum enim carnem caſtigat, hoc ipſo ſimul dæmonem antagoniſtam ſuum cum concupiſcentia ſua carnali confœderatum flagellat & verberat: ſit tibi moderatus cibus, & nunquam venter expletus, non quærendum tibi magnopere de quàm pretioſis cibis ſtercus conficias, quicquid poſt gulam non ſentis. Modicus ac temperatus cibus & carni & animæ utilis eſt. Quare miles Chriſtiane vigila, fide vigila, ſpe vigila, charitate vigila, operibus vigila, quia calumniator noſter agit contra animam noſtram, contra ſalutem, contra æternitatem; agit ut nos ſocios habeat damnationis & ignis inferni, idque ex odio Dei quo ardet, ne ſcilicet Deus à nobis honoretur, ex invidia

dia, ne ſedes ejus in cælis occupemus (Soli enim homines beati ſupplent numerum angelorum lapſorum eorumque ruinas adimplent) & ſuperbia, quia omnes ſibi ſimiles reddere, omnibusq; dominari ambit.

Qui cum Platone cœnant, etiam poſtero die benè habent.

QUÆRES. Qua ratione & arte humana vita diu prorogari poſſit. Reſp. Probabile eſt & multorum opinio, quod ſi homo ex arbore vitæ in paradiſo ſtatis temporibus comediſſet, nec ſenium nec mortem incurriſſet, ſed fructus ejus iterato comeſtus ulterius ſemper & ulterius vitam illi prolongaſſet. Paracelſus inter medicos venditare auſus eſt, vitæ ſe Mercurium reperiſſe (ſic enim phar-

pharmacum longævitatis appellat) quo amiſſas ætatis vires reſtitueret, caniſq́; deciduis ex cygno faceret corvum. Verùm poſterius hoc forte ſuſpectum eſt, illud tanquam certum affirmare auſim, temperantiam eſſe pharmacum longævitatis, hæc enim conſumit noxios humores, ſpiritus vitales purificat, & exacuit, donec exhauſto calore & humore nativo per ſe inſtar lucernæ extingvatur: hæc inquam fovet & nutrit humidum radicale, æque ac calorem naturalem, quem inſuffocat: temperantia obruit & ſuffocat: præſertim ſi accedat moderatum exercitium, hinc Cyrus nunquam prandebat, niſi ſudaſſet, deinde animi tranquillitas & curarum vacuitas, & denique mentis læti-

tia

tia & hilaritas. Audi Scholam Salernitanam.

Si tibi defuerint medici medici tibi fiant
Mens hilaris, requies facilis, moderata dieta:

Lege Lect.

REPERTORIUM XI.
VERBUM DEI.

HOc gladio Christus vicit & jugulavit dæmonem se tentantem & oppugnantem, hoc gladio spirituali omnes sancti in tentationibus & angustiis usi sunt dextra nimirum tenebant gladium quod est Verbum Dei, sinistrâ scutum scilicet fidem, hic est gladius acutus & scindens, qui hostem nostrum prosternit & in tartarum præcipitat. Si hostis nostri natura quæ-

quæritur, spiritus est: si species, est invisibilis: si indoles, nequissimus & malitiosissimus: si potestas est mundi Dominus: si ars & fraus, est princeps tenebrarum, per tenebras & insidias non aggreditur. Est sævus ut leo, qui nunquam cicuratur nunquam fit domesticus: quin pluribus animabus pastus non saturatur utpote rapacissimus & voracissimus quos pervertit, tractat ut mancipia quod patet in sagis & veneficis, quas quasi bestias flagellat, verberat & torquet. Verùm sicut leo galli cantu maximè verò igne terretur: ita diabolus fugatur rebus in speciem exilibus, scilicet signo crucis, lætitia spirituali, oratione, invocatione nominis JEsu, verbo Dei. Hic est flammeus gladius in

omnes

omnes partes versatilis. Hinc familiare erat Apostolo Paulo nomen JEsu, quod in parvis & paucis quatuordecim epistolis suis ducenties decies novies repetit, Christi verò nomen quadringenties & semel. De S. Paula memorat S. Hieronymus: *Si quando inquit procacior in illam fuisset inimicus, illud psalterii decantabat. Ego autem quasi surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. In langvoribus & crebra infirmitate dicebat: quando infirma sum, tunc fortis sum. In mœrore cantabat: Quare tristis es anima & quare conturbas me: spera in Deo. In periculis loquebatur: Qui vult venire post me abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me. Quando dispendia rei familiaris & eversio totius*

tius matrimonii nuntiabatur, ajebat: Quid enim prodest homini, si totum mundum lucri fecerit, & animæ suæ damnum habuerit. Et nudus exivi de utero matris meæ, nudus & redeam. Hæc est imago militis Christiani â capite ad talos armati.

QUÆRES. Quare diabolus vocetur leo, cùm & Christus vocetur leo de tribu Juda. Resp. Christus vocatur leo, quia ortus est ex tribu Juda, cujus insigne fuit leo, 2. ob eximiam fortitudinem, qua diabolum, mortem, peccatum & infernum devicit. 3. Ob regiam dignitatem: Leo enim est rex animalium, 4. Quia ut leo est impiis, eritq; in die judicii. Diabolus vero vocatur leo 1. ob feritatem & fortitudinem ad nocendum.

dum. 2. Leo apertis oculis dormit, hinc leo eſt ſymbolum vigilantiæ, ſimiliter diabolus pervigil eſt ut homini noceat. 3. Leo magis terret rugitu, quam ferit morſu, ſic diabolus magis nocet ſuis minis & terroribus, quam robore & verbere: Unde quidam dixit: reſiſtite diabolo & fugiet à vobis. 4. Leonum oſſa adeò dura ſunt, ut ex iis percuſſis ignis quaſi ex ſilice eliciatur: oſſa hæc repræſentant obſtinationem & pertinaciam diaboli tum in peccato, tum in ſtudio hominibus nocendi. 5. Leo contortis pedibus incedit, ut in iis quaſi in vagina abſcondat ungves ſuos, præſertim tempore nivis, ne in ea veſtigia ejus appareant: Ita pariter diabolus malum ſpecie honeſti obtegit, ne do-

li ipsius pateant. 6, Leo igneæ est naturæ ardet libidine & ira: sic diabolus unde vocatur spiritus impurus. 7. Fætet leo ob voracitatem & ingluviem, sic & diabolus, cujus fætorem & graveolentiam S. Martinus Episcopus expertus. 8. Leoni vis summa est in pectore: sic diabolus postquam in pectus & cor hominis irrepsit, & se insinuavit, totam animam totumque hominem occupat, unde non sitit nisi mortes & cædes hominum. 9. Leonem rotarum orbes circumacti, gallinaceorum cristæ, eorumq; cantus, tum denique ignes terrent: ita diabolus fugatur signo crucis, aqua benedicta, sanctorum reliquiis, oratione, jejuniis. 10. Leo grandia & fortia animalia aggre-

ditur, parva & vilia aſpernatur, rurſus leo læſus acrius in lædentem inſurgit: ſic diabolus meliores, ſanctiores, fortioresque aggreditur, hæreticos, carnales quaſi ſuos contemnit, magis autem ſævit cum læditur, puta cum homines vacant pietati, orationi, jejunio, mortificationibus.

REPERTORIUM XII.
BREVITAS PUGNÆ.

Modicum hoc certaminis, cui debetur æternum præmium excitare militem Chriſtianum debet ad præſtandam in eo omnem animi alacritatem, fortitudinem & conſtantiam, quo paucorum dierum labore transacto ſequetur brac-

bravium æternum certantibus promiſſum, veniet ſine fine felicitas, veniet æqualitas angelorum, veniet hæreditas Chriſti. Veterani milites, qui laborant in militia, & verſantur inter vulnera tot annos, incipiunt militare à juventute, quanta dura tolerant, quæ itinera, quæ frigora quos ſolis ardores, quantas necesſitates quæ vulnera, quæ pericula, tandem exeunt ſenes, ut habeant paucos dies quietas ſenectutis ſuæ, quando eos jam ipſa ætas incipit gravare. Quam obſecro miſeranda illorum conditio, nocturnæ diurnæque vigiliæ; alimonia illis vel tenuis vel plerumque agreſtis, quies rara, humi cubatio, lectus ſtramineus, nudum ſæpius ſine tecto cælum; pluviæ ac tempeſta-

tum, æstus frigorisque tolerandæ injuriæ: stipendia dubia, ac sæpe nulla, insidiæ hostiles & pericula vitæ certissima, dura plerumque præfectorum imperia: lictoris fasces securesque cervicibus domi, foris hostium gladii ac tela imminent, ut nec in rigidissimo quidem Monachorum ordine tantam homo asperitatem vivendi exspectare possit, quantam in militia sustinere cogitur. Quodsi Deus pro cælesti gloria mortalibus talia sustinendum proposuisset, immitis heri potius quam mansveti patris affectum erga nos induisse videri possit. Sed scito & tu te esse militem Christi, ad bellum vocaris, ut arma tractes. Milita igitur bonam militiam, est enim & militia mala, alii sub

sub tyranno militant, tu æterno Regi milita. Ubi ergo Christus est? in cælo, huc tuus tibi ò Christi miles dirigendus est cursus. Subeat animum tuum sempiternorum bonorum cogitatio, obliviscere quidquid hic in terris est, miles non domos ædificat, non comparat agros, mercibus & lucro non studet, & tibi propositum vitæ genus sit domo ac possessione rerum omnium carere. Delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exsere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: pactum quod spospondisti; conditionem quâ accessisti, militiam cui nomen dedisti. Hoc

classicum canit S. Chrysostomus. O si benè cogitares quam breve tempus sit certaminis & cursus nostri, quam volet irrevocabile tempus, quam ab hoc momento pendeat æternitas! quam strenuus & assiduus esses in certamine. Luctamen sunt præsentia omnia, certamen, bellum, stadium; aliud est quietis tempus, hoc prælio deputatum est atque sudoribus, nefas ergo est pugilem Dei vacare deliciis, non licet epulari luctantem. Pulchre Seneca: *Turpissima inquit temporis jactura est quæ per negligentiam fit; & si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Hinc disce vitam hanc esse mercatum, in quo omnes opes, puta vir-

virtutes comparare poſſimus; eo exacto nullus emendi & comparandi ſupererit locus. Mercatus hic durat tantum uno die, nam vita noſtra eſt, non niſi unus dies, imo niſi punctum reſpectu æternitatis. Vide ergo ut hoc die copiosè merceris, & lucra tua in æternum duratura adaugeas, nam ubi hæc occaſio tranſierit, ubi hæ nundinæ, hoc tempus vitæ tuæ effluxerit, non habebis vel momentum pænitendi, benè agendi, mercandi, & lucra cæleſtia comparandi. Quin imo vis noſſe quanta ſit ætas tua, qui tibi Neſtoris annos promittis. Hora eſt, horaria eſt vita tua: horarii ſumus omnes; ſenes ſunt in ultima vitæ hora, imo horæ unius parte: juvenes horam integram,

longamque ſperant, & ſibi pollicentur, ſed ſæpe in horæ exordio abripiuntur. Cogitent ſaltem illud Senecæ: Tempus vitæ vel eſt, vel fuit, vel erit; quod agimus breve eſt, quod acturi ſumus, dubium: quod egimus certum. Fluvius eſt tota hæc vita, isque currens, rapidus, præceps, rapiens omnia ſecum. Unde Poeta:

Omnia prætereunt more fluentis aquæ.

Quid ni ergo ab hoc exiguo & caduco temporis tranſitu, in illa nos toto damus animo, quæ immenſa, quæ æterna ſunt; quis animum tuum poſt vitam locus, quæ ſors expectet? O ros! O vanitas! quid ambis? quid longa ſperas? breve eſt, quidquid hîc vides.

vides. In ictu oculi clauduntur omnia. Unde Poeta juventutem, brevemque hominis vitam comparat flori, dicens:

Collige virgo rosas dum flos novus & nova pubes
Et memor esto ævum sic properare tuum.

Alexander Magnus duodecim tantum annis regnavit, in ipso flore ætatis extinctus. Habuit hîc ipse, uti & Salomon suas opes, delicias, veneres, victorias, & quidquid mortalis optare potest; sed quàm modico tempore? habet nunc suas miserias, inopiam, vermem & ignem gehennæ, sed quanto tempore! Habuit ea jam ultra duo millia annorum, habebit ea per centum millia, per mille milliones annorum, habebit ea

in omnem æternitatem. O quàm malè quam miserè divisa fuit sors Alexādri! Sors hujus vitæ felix fuit ad momentum; sed alterius vitæ est infelicissima in æternum. Vide ergo quisquis hîc dives, potens, felix es & deliciaris, ne & tibi tua felicitatis sors hîc detur, & in futuro sors altera infelicitatis tibi obveniat. Est enim mundus instar scenæ, in qua peragitur fabula vitæ hujus: homines personæ sunt, intrant, abeunt: locus theatri est terra. Duæ in hac scena sunt portæ, ingredientibus ortus, egredientibus occasus sive mors; vestes quisque hîc commodato accipit: qui regem agit non auferet secum purpuram, quam hîc gestavit, brevi finitur hæc comœdia.

QUÆRES I. Quid de parvulis

vulis in peccato originali mortuis ſentiendum, qui licet brevi tempore hîc vixerunt, non tamen Chriſti militiæ per baptiſmum adſcripti ſunt. Reſpondent Scholaſtici, quod parvuli hi comparituri ſint in judicio univerſali excepturi ſententiam mediam à Chriſto Judice: non enim admittet eos in cælum ut beatos, nec damnabit ad ignem gehennæ ut damnatos. Puniet ergo eos pænâ damni, *id eſt* privatione cæleſtis gloriæ ob peccatum originale, non verò pænâ ſenſus: hæc enim reſpondet peccato actuali, quod parvuli non habent. Cæterum probabile eſt, eos in terra vitam quietam & jucundam acturos, nam limbus puerorum eorum corpora quæ reſument in die

judicii non capiet, erunt enim facilè mille milliones parvulorum, qui toto tempore per tot sæcula sine baptismo mortui. Deinde tot corpora in limbo puerorum naturaliter esse non poterunt sine mærore & pæna sensus (quam tamen parvulis communiter adimunt Theologi) hanc enim causaret loci obscuritas, conclusio, depressio, squalor, angustiæ: locus ergo hisce parvulis non erit aptior quam terra novo decore, puritate & fulgore post communem totius orbis instaurationem splendens, in qua contenti & læti in omnem æternitatem concorditer & amicè vivent, & Deum laudabunt, quod se à peccato actuali & gehenna præservaverit: alioqui enim essent otiosi per o-
mnem

mnem æternitatem, nec putandum Deum tot milliones animarum velle eſſe ſemper in otio & quaſi fruſtra in orbe. Præterea ſolem, cælos, aſtra, mare, cæteraque creata intueri, & contemplari poterunt, ex iisque Deum amare: cenſent enim multi quod poſt diem judicii & conflagrationem mundi, terra rurſum floribus, gemmis, arboribus, fontibus, aliisque ſimilibus ornamentis ſit veſtienda, tum ad ejus, mundique decorum, tum ad ſanctorum oblectationem, tum ad parvulorum ſine baptiſmo defunctorum recreationem.

QUÆRES II. Utrum omnes baptizati ſive boni ſint ſive mali, ſint in Eccleſia, & inter membra illius numerentur. Reſp. affirmativè.

tivè, Quia Christus habet unum corpusmysticum quod est Ecclesia anima autem hujus corporis est fides quam habent omnes fideles qui per Baptismum quasi membra Ecclesiæ inserti & incorporati sunt, etiamsi improbè vivant. *Dices* cum modernis Novantibus. In Ecclesia non est macula nec ruga, sed tota est sancta. Ergo soli boni sunt in Ecclesia, mali verò licet fideles sint & Christo credant ab ea excluduntur. Resp. Ecclesia dicitur sancta sine macula & ruga, quia caput Ecclesiæ scilicet Christus & præcipua ejus membra, quæ non tantùm fide, sed & gratia ac charitate Christi sunt prædita, sancta sunt. 2. Ecclesia dicitur sancta, quia sancta habet Sacramenta, sanctas leges, & Christus quantum

tum est ex parte sua eam planê sanctificavit. Deinde sicut Ecclesia ita & Ecclesiæ puritas & sanctitas inchoatur in hac vita, perficietur autem in cælo. Adde sicut totus homo dicitur ratiocinari videre, audire, tametsi nec pes nec manus, sed solùm caput propriè ratiocinatur videt & audit: ita Ecclesia tota dicitur sancta per suum caput & collum, videlicet Christum & sanctos. Sic dicitur Academia Cracoviensis docta, quia doctores habet egregiè doctos, etiamsi in ea multi alii sint non ita docti. Sic dicitur de civitate Dantiscana quod sit dives propter mercatores qui in ea sunt divites, cum alioqui multi alii in ea sint pauperes.

RE-

REPERTORIUM XIII.

VIGILANTIA.

OPus eſt vigilantiâ, nam & miles dormit non in lecto, ſed humi, piſcator non dormiens piſcatur, ſed ſtans aliquando peragit noctem; agricola vigilat, ne domini vinea lædatur: & paſtor ſub dio ſtans noctem inſomnem conſummat, gregem cuſtodiens. Paratos nos eſſe & expeditos docet, in bello enim ſumus, in circuitu impii ambulant, peccatores intendunt arcum. Recordentur milites Chriſtiani quod tempus breve ſit, & judicium præ foribus, & propterea poſuit Dominus incertum exitum noſtrum, ut continuè vigilemus ac pugnemus. Pulchrè S. Aug. *Quid eſt inquit vigila-*

gilare? utique non dormire? Est somnus animæ, & est somnus corporis. Somnum corporis omnes debemus habere, alias deficit homo, Illud autem cavere debemus, ne ipsa anima nostra dormiat; malus enim est animæ somnus. Somnus animæ est oblivisci DEum suum. Quæcunque anima oblita fuerit DEum suum, dormivit. Cave ergo miles Christi ne totus aliquando dormias, ne sit somnus tuus non requies lassi, sed sepultura corporis suffocati: non reparatio sed extinctio spiritus sui. Magna est affinitas somni & mortis: somnus enim est mors quædam brevior, mors vero somnus longior. Hinc Poëta:

Stulte, quid est somnus? gelidæ
nisi mortis imago.

Unde pia fuit, & etiamnum est Chri-

Christianorū consvetudo, ut cum aliquis mortuus esset, non dicerent, iste est mortuus, sed obdormivit in Domino, idque ad amicorum consolationem, & ut mutuo sese excitarent ad contemptum vitæ præsentis, & spem resurrectionis. Scito somnia esse indicia vigilantis animi & virtutis aut vitii; quæ enim in vigilia animus cogitat, agit, & frequentat, hæc & somniat, naturaliter enim ea noctu occurrunt. Accipe pulchrum ænigma somni.

Sponte mea veniens, varias ostendo figuras,
Fingo metus varios, nullo discrimine veri
Sed me nemo videt, nisi qui sua lumina claudit.

Somnium ergo est signum rei amatæ

tæ, & per frequentem actionem aut meditationem animo penitus inſitæ & infixæ. Si enim ſomnies de DEO, de amore DEI, de proximi ſalute &c. certum eſt, interdiu te crebro de Deo, Deique amore & proximi cogitate, agere, & ſatagere. Hinc ſignum eſt eximiæ caſtitatis, ſi in ſomnis nunquam occurrat turpis imaginatio, aut ſi occurrat ſtatim ei phantaſia reſiſtat. Sicut enim equi viam ſæpe à ſe initam & tritam ineunt, etiam dum auriga dormit: ſic idem facit ſenſus, caro & phantaſia, etiam dum mens ſopita eſt, & ratio dormit. Et hæc eſt militum Chriſtianorum piorum ſancta & utilis praxis, ut cùm cubitum concedunt, orent, & pii aliquid cogitent, in eaque cogitatione indor-

dormiant, ita præter alia, diaboli tentationes & illusiones atque fæda phantasmata elidunt & evadunt. Idem faciunt cum noctu evigilant. *Quoties enim quietis causa ad somnum nos componimus, adveniens immundus spiritus iniquas ac sordidas cogitationes, velut spicula quædam in nos jaculatur, ut cùm per desidiam ad orationem non exsurgimus, neque contra illum ocyus armamur, in sordidis obdormiamus cogitationibus, sordidaque videamus somnia. Est & spiritus unus qui præcursor dicitur, qui nos è somno surgentes, protinus excipit, primumque nostrum cogitatum inquinare nititur.* Hæc Climachus. Miles ergo Christianus ilico ut evigilat, instar volucrum & cum volucribus incipiet jubilare DEO. Vis ergo pia somnia-

mniare de DEO, Christo, Beata Virgine, cælo, beatis, eadem vigilans frequenter cogita ac rumina: cùm enim hujus cogitationis habitum indueris, is quasi naturaliter etiam noctu in actum suum sese exeret, præsertim si eam sub somnum renoves, eique indormias. Qua de re audi S. Bernardum: *Iturus ad somnum, semper aliquid tecum defer in memoria vel cogitatione, in quo placidè obdormias, quod nonnunquam etiam somniare juvet, quod etiam evigilantem te excipiens, in statum hesternæ intentioni restituat. Sic tibi nox sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio tua erit in deliciis tuis. Placidè obdormies, in pace requiesces; facile evigilabis & surgens facilis & agilis eris ad redeundum in id, unde non totus discessisti: sobrium enim cibum*

cibum, sobriumque sensum, sequitur sobrius somnus: carnalis verò somnus & brutus, & sicut dicitur letheus, abominandus est servo Dei. Audi & Senecam: *Animus ait quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, cùm se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum, quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? quâ parte melior es? Desinet ira vel moderatior erit, quæ sciet sibi quotidie ad judicem veniendum. Quid ergo pulchrius hâc consvetudine excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quàm altus, quàm tranquillus & liber?* Æquè de primitiis cogitationum nostrarum dicendum: incredibile enim est quantum animæ pro-

sit meditatio matutina: Quandoquidem experientia quotidiana nos clarè docet, omnem zelum efficaciam & fructum cunctarum actionum nostrarum per diem ex ea manare & perfluere. Disce & asvesce, præsertim si religiosus sis, quotidie aliquid meditare de brevitate vitæ, de tua morte, judicio, æternitate, vita & passione Christi & sanctorum, de tuo profectu & defectu, indeque efficacia proposita concipe, quod illo die iram, superbiam, gulam, invidiam &c. mortificabis, exinde senties per diem magnum robur, præsertim si illa proposita pia per diem aliquoties recolas & renoves.

QUÆRES I. An licet divinare ex somniis de futuris? Resp. Triplicia sunt somnia: quædam prove-

proveniunt à Deo: quædam à dæmone, quædam à natura. 1. Ex somniis naturalibus licet divinare naturaliter, id est, conjectare de hominis temperamento, sanitate, affectu, & morbis imminentibus. & ratio est, quia effectus naturaliter indicant suam causam: Somnia autem hæc sunt effectus certi temperamenti & certi humoris in corpore prædominantis sic biliosi seu cholerici, somniāt cædes, verbera & ignes: phlegmatici somniant aquas, voragines, suffocationes, & à rebus noxiis tardam fugam: sangvinei somniant de musica, de conviviis, de pratis, de avibus, de volatu: Melancholici somniant de rebus altis & tristibus. de morte, de sepulchris, de æthiopibus, de dæmonibus. Præterea oriun-

oriuntur etiam somnia naturalia ex diurna cogitatione, vel ardenti erga rem aliquam affectu. Hinc sicuti

Navita de ventis, de bobus narrat arator.

ita & de iisdem somniat.

2. Ex somniis à Deo vel Angelo immissis divinare licet, sed ei tantum qui eorum significationem à Deo vel Angelo accepit, ita Joseph & Daniel ex somniis divinarunt. Somnia autem divina rara sunt, & vix à dæmoniacis aut vanis dignosci possunt, hinc tutissimum est somnia quælibet contemnere, nisi Deus aliud revelet; hoc autem revelare solet partim illuminando ipsos somniantes ut sciant somnium sibi esse à Deo immissum, eosque exstimulando,

do, ut ſomnii interpretationem inquirant.

3. Reliqua ſomnia & ex iis divinationes, vel diabolica ſunt vel ſuperſtitioſa vel vana, fallacia & futilia: unde divinatio ex hiſce ſomniis prohibita eſt.

QUÆRES II. An ſomnus ſanitati prodeſt? Reſp. Sicut ſomnus moderatus ſanitati conducit: ita immoderatus afficit. De temporis menſura universè ſtatuitur:

Septem horis dormiſſe ſat eſt juveniq́ꝫ ſeniq́ꝫ.

Singulorum tamen videnda eſt complexio, nam quibus natura humidior horam adjicere, quibus ſiccior detrahere unam poterunt. Sed & laboris & fatigationis præteritæ, tum cibi potusque aut tenuio-

nuioris aut largioris habenda ratio est. Nox etiam humidior, tenebræque luci præferendæ. Si post prandium somnus aliquis premat, excludique vix possit, admittendus post alteram à mensa horam videtur, idque brevi tempore juxta Salernitanæ Scholæ præceptum.

Aut brevis, aut nullus sit somnus
meridianus.

Unde ii naturæ legem, ordinemque violant, qui medias vigilando noctes transigunt, & optimam matutinæ lucis partem somno consumunt. Tales Dei opus corrigunt, vertuntque noctem in diem, & lucem in tenebras, vigilant dum alii dormiunt, & dormiunt, cum alii vigilant.

REPERTORIUM XIV.
PRÆSENTIA DEI.

FElix qui Deum ſemper præſentem cogitat, reveretur, & quaſi coram præſente ubique ambulat, ſuaque omnia agit & operatur, uti ſervus coram Domino, diſcipulus coram magiſtro, miles coram Duce, filius coram patre; illi per omnia præſto, obſequens, fidelis, ut illi ſinceré accuratè perfectè ſerviat, obediat, placeat. Maximè verò cogita oculum illum Dei lucidisſimum & maximum, te tuaque facta, dicta & cogitata ubique intueri, æque ac regere. Deus enim totus eſt oculus, totus auris: quia omnia videt, omnia audit. Noli ergo murmurare, detrahere, maledicere,

cere, vana loqui, quia ille ſingulas tuas voces audit & notat. Merito dixit Boethius: Magna nobis injecta eſt neceſſitas benè agendi, quando omnia agimus in conſpectu judicis cuncta cernentis. Audiant Chriſtiani milites & Senecam: *Sic vive inquit cum hominibus, tanquam Deus videat: ſic loquere cum Deo tanquam homines audiant.* Sicut enim nullum eſt momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate & miſericordia, ſic nullum debet eſſe momentum, quo eum præſentem non habeat in memoria. Omne enim tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te reputa perdidiſſe. Præclarè S. Auguſtinus: *Indicitur inquit tibi bellum non ſolum adverſus ſuggeſtiones diaboli,*

sed adversus te ipsum. Quomodo adversus te ipsum? adversus tuam consvetudinem malam & adversus vetustatem vitæ tuæ malæ, quæ trahit te ad solitam consvetudinem, & refrænatur à nova; indicitur enim tibi quædam nova vita, & tu vetus es, sed ex qua parte tibi displices, jungeris Deo; & ex qua parte jam jungeris Deo, idoneus eris ad vincendum te, quia ille tecum est, qui omnia superat. Jam verò Deus nobis operatione sua vicinus est imo intimus, sicut aër in quo vivimus, quemque spirando attrahimus. Sicut ergo aërem respirando quasi palpamus & sentimus, dum ille nos refrigerat; ita Deum in nobis operantem cognoscimus & quasi attrectamus. Et sicut mare non longè est à piscibus, quia pisces in

in eo & ex eo generantur, aluntur & vivunt; unde illud sentiunt: ita Deus non longe est à nobis, quia in eo & ex eo quasi mari bonorum omnium haurimus vitam, motum & omnia: ex quo facile est eum attrectare, & cognoscere. In Deo enim vivimus, movemur & sumus, intra illum stamus & habitamus: ille nos penetrat sua essentia & substantia, penetrat totum corpus, & totam animam nostram, omnesquè ejus sinus, angulos & latebras extra illum exire non possumus, quia ubique est; & quia est immutabilis, ubi semel est, semper est, adeo ut si per impossibile Deus non existeret in nobis, sive in loco in quo sumus, nos in eodem existere & subsistere non possemus.

Magis pendet homo & res quælibet à Deo quam à seipsa: quia & materia & forma ipsius ex se non est, sed omne suum esse habet à Deo, illudque tam diu habet, quamdiu placet Deo. Si enim ille manum suam retrahat, ilico res omnis recidit in suum nihilum, unde à Deo per creationem educta est. Magis ergo pendemus à Deo quam radii à sole, lumen à luce, calor ab igne, vita ab animo, respiratio ab halitu. Vide igitur quam Deo juncti simus physice & moraliter jungi debeamus. Et hæc est causa, cur magis Deum quam nos ipsos, id est vitam, animam nostram diligere debemus: quia nimirum à Deo quasi à fontali principio magis pendemus nos, totumque universum, cujus

nos

nos ſumus pars, quam à nobis ipſis: in Deo inquam vivimus, movemur & ſumus, ſicut infans in ſinu, imo in ventre matris à qua gignitur, formatur, alitur, omneque ſuum eſſe accipit: ſicut piſciculus in mari, ſicut avis in aëre, ſicut herbæ & gramina in terra, ſicut navigantes in navi, ſicut itinerantes in curru; ipſe enim eſt currus Iſrael & auriga ejus: ipſe ut currus nos ſuſtinet & vehit, ut auriga moderatur, dirigit & ducit rectis itineribus ad cælum.

QUÆRES I. Quis ſit hujus, præſentiæ Dei fructus? Reſp. 1. Fuga peccati. Hac ſolum ratione fit, ut quis nunquam labatur, ſi DEum ſibi ipſi ſemper adeſſe exiſtimat. Scortum ſollicitabat S.

Ephrem ad ſcelus; ille in ſpeciem annuit, modo id fieret in foro: cumque ſcortum diceret, hoc fore infame & pudendum; tum Ephrem: Quanto magis pudere debet te coram Deo, quia omnia etiam occultisſima intuetur? quo reſponſo perculſa meretrix, veniam petiit & monaſticam vitam amplexa eſt. Unde Poëta Chriſtianus:

Cum quid turpe facis quod me ſpectante ruberes
Cur ſpectante Deo non magis ipſe rubes.

2. Fructus eſt victoria tentationum, periculorum, inimicorum.

3. Talis eſt quaſi Angelus: Angeli enim ſemper vident faciem Patris.

4. Talis mirè excitatur ad amorem

rem Dei, ſemperque lætatur, quia Dei præſentia fruitur.

5. Hæc Dei præſentia fugat iram, concupiſcentiam, diſtractiones, hominemque facit perfectum.

QUÆRES II. Quâ viâ appropinquamus Deo? Reſp. 1. recedendo à diabolo, eique reſiſtendo: Deus enim & diabolus ſunt duo extrema ſummè contraria, duoque hoſtes ſibi infenſiſſimi: Unde quo magis ab uno recedis, eo magis accedis ad alium oppoſitum.

2. Humiliando te: Deus enim humilibus dat gratiam. Unde S. Aug. *Altus eſt Deus: erigis te & fugit à te: humilias te, & deſcendit ad te.* Quare? *quia excelſus eſt & humilia reſpicit*, & alta id eſt ſuperba de longe cognoſcit ut deprimat.

mat. Per humilitatem ergo appropinquamus Deo, ut ad misericordem, ut nudi ad divitem, ut famelici ad panem, ut infirmi ad medicum, ut servi ad dominum, ut discipuli ad magistrum, ut cæci ad lumen, ut frigidi ad ignem.

3. Purificando te à peccatis per pænitentiam, quo enim magis à peccato recedis, eo magis ad Deum accedis, peccator enim accedit ad Deum per actus fidei, timoris, spei, dilectionis, contritionis & propositi novæ vitæ.

4. Amando Deum & opera charitatis exercendo: amor enim jungit amantem amato, nam amare est velle alicui bonum, eo tantum fine ut ipsi bene sit; hoc est ut ipse inde commodum, honorem aut voluptatem percipiat. Si autem

autem alicui velim bonum, ut mihi inde benè sit, non tam illum amo quam meipsum, quia bonum alterius ad meum commodum refero: & sic plerique mortalium amare solent.

5. Per orationem, oratio enim est mentis in Deum elevatio, cum quasi obsequentes servi, amici & filii nos nostraque omnia offerimus Deo, tanquam summo omnium Domino, amico & patri.

REPERTORIUM XV.
DIES JUDICII.

HÆc dies continua ejus expectatione & metu Christianum militem teneat suspensum, ipse singulis diebus, imo horis & momentis studiosè totoque mentis

tis conatu ad eum ſe compareret, vel ex eo quod judicium & dies vindictæ erit improviſus & inexpectatus. Hic erit dies magnus, quia magna in eo fient, ſcilicet judicium univerſale, conſummatio mundi, deſcenſus Chriſti glorioſus cum omnibus Angelis & Sanctis; diviſio bonorum à malis, glorificatio bonorum, & damnatio malorum in æternum; hic dies diſterminabit in omne ævum Angelos à dæmonibus, beatos à damnatis, paradiſum à gehenna. Hinc patet dæmones comparituros in judicio univerſali, & à Chriſto judicandos, accepturosq; æternæ damnationis ſententiam juxta illud: *Neſcitis quoniam Angelos judicabimus?* In illo judicio ſedebit judex, qui ſtetit ſub judice Pilato;

to: damnabit veros reos, qui factus est falsus reus. Formidabiles libri tunc aperientur, in quibus scripta sunt opera nostra & verba, & quæcunque egimus in hac vita, nec solum actus sed & cogitationes & intentiones cordis. Vide quid hîc agas: quidquid enim egeris, in libris hisce scribitur, qui hîc clausi sunt, pandentur & legentur in die judicii.

Hæc miles Christiane lege, relege, rumina & pondera quotidie: vide quid in libris hisce tuis conscribas, in his namque revelabuntur omnes vulpinæ conscientiæ, omnia consilia cordium, omnes fuci mentium, omnia occulta tenebrarum: à dextris erunt peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia; subtus horrendum

dum chaos inferni, deſuper judex iratus, foris mundus ardens, intus conſcientia urens. Ibi vix juſtus ſalvabitur, heu miſer peccator ſic deprehenſus quo fugies? latere enim erit impoſſibile, apparere intolerabile. Si quæris quis te accuſabit? dico quod totus mundus, offenſo enim Creatore, omnis creatura odio habet offendentem, id eſt peccatorem. Unde quidam hanc humilem de ſe confesſionem inſtituit. Sub ovina pelle vulpinam conſcientiam abſcondebam: vulpina planê conſcientia, tepida converſatio, animalis cogitatio, ficta confesſio, brevis & rara compunctio, obedientia ſine devotione, oratio ſine intentione, lectio ſine ædificatione, meditatio ſine guſtu, ſermo

mo ſine circumſpectione. O quam dura ſunt iſta quæ loquor, quoniam meipſam loquendo ſerio. Cogita horrendum diluvii ſpectaculum, ſenſim creſcentibus aquis, circumcurſabant per domos tremulæ matres cum parvulis, neſcientes quo pergerent, ſurgebant alii pavidi de menſa & effugium quærebant, è cubili exiliebant ſponſus cum ſponſa, huc ille, illuc illa fugiebat, ut ſalientem evaderet undam; vidiſſes quosdam repente ſuperiora domûs, alios etiam tectorum cacumina conſcendere: nonnullos excelſarum arborum ramos ſcandere, alios vero cum feſtinatione ad collium montiumque juga ſe proripere ſed fruſta: nemo enim hanc aquarum vim & impetum eva-

evadere potuit, ubique pavor ubique tremor. Ex hisce & similibus vides quam horribile fuerit diluvium. Hinc disce quid sit peccatum, quod hanc cladem toti orbi induxit, & si tale fuit diluvium aquæ in terra, quale erit diluvium ignis in gehenna? vel quid erit in die judicii, qui similiter omnes ex improviso obruet? quandoquidem minatur Christus, se ex improviso venturum, quasi furem eosquè morte, tum præsenti tum æterna obruturum. Hæc enim congrua est pœna ut qui cum pœnitere possent & noluerunt, pœnitere non possunt dum volunt.

Vis consilium? vis remedium? accipe à S. Paulo, cogita, discute, compone ad normam divinæ legis

gis & voluntatis singulas tuas non tantum actiones sed & cogitationes. Si enim nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Ita vive ut memineris te tuaque intima videri à Deo, te notari ab Angelis, à dæmonibus, ab hominibus. O quam sapit qui jugiter animo versat ultimum & censorium hujus mundi diem, qui erit horizon æternitatis beatæ & miseræ. O quam sapit qui ita actus singulos agit ac disponit, prout optabit eos egisse & disposuisse in die judicii.

QUÆRES I. Cur dies judicii maximè particularis nobis sit incertus. Resp. SS. Patres plures causas assignant. Prima est quia si novisset homo diem suum ultimum, nihil non scelerum cona-

nare-

naretur patrare aliis diebus, deinde fine vitæ appropinquante pænitentiam ageret. 2. Plerique si novissent in crastinum V. G. sese morituros, innumeris malis hostes suos affligere meditarentur, tanquam jam de seipsis desperantes, quod nunc non fit, mortis eos terrore remorante. 3. Causa. Alii vitæ suæ amantiores, præ nimia desperatione ac tristitia perirent, si mortis suæ tempus ac momentum compertum haberent. 4. Denique, latet ultimus dies ut observentur omnes alii, & quia veniet sicut fur in nocte, quisque ad eam paratus esse debet omni hora.

QUÆRES II. An ii qui vivi reperientur in die judicii universalis, excipientur à communi lege mor-

mortis. Reſp: Qui in die judicii univerſalis vivi reperientur, igne conflagrationis examinabuntur; ignis etiam hic purgabit juſtos tunc viventes qui aliquid culpæ vel pen-næ luendum & expiandum habe-bunt, juxta illud: *Uniuscujusque opus quale ſit ignis probabit &c. ſal-vus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Juſtos verò plenè purgatos vel non attinget hic ignis, vel potius attinget quidem ſed non affliget, niſi quantum mors naturalis natu-raliter morientem affligere ſolet: igne ergo hoc morientur omnes etiam juſti, non in aëre & raptu uti quidam volunt, ſed in terra, qui ſolus proprius eſt morientium, ſed breviſſimo & pauciſſimo tem-pore (ut commune naturæ debi-tum & peccati originalis, cui o-mnes

mnes obstringimur persolvant) nam statim à morte resurgent, ergo prius morientur: unde censentur, non tam mortui quam vivi, quia mox canente tuba, resuscitandi erunt. Quando ergo dicitur in symbolo Apostolico, quod Christus judicaturus sit vivos & mortuos, intelligendum, Christum esse judicem omnium hominum, tam eorum qui vixerunt & mortui sunt, quam eorum qui vivent Christo adventante ad judicium: alioqui enim in ipso judicio, nulli erunt mortui, sed omnes vivi, solosque vivos propriè judicabit Christus.

QUÆRES III. Utrum animæ justorum ante Christum ascenderint ad cælum. Resp. Nulla anima ante Christum Christique mortem,

tem, quantumvis ſancta & pura cælum introivit: nam ante Chriſtum nondum propalata fuit ſanctorum via, ſed cælum fuit inaccesſibile, ipſe viam in cælum nobis initiavit & initiando complanavit, primusque ingreſſus eſt uti Paulus docet ad Hæbreos.

Ipſe eſt primogenitus mortuorũ, primitiæ dormientium, ſic & reſurgentium: ideòque primus qui reſurrexit ad vitam beatam glorioſam & æternam. Unde Chriſto in cruce moriente velum templi ſciſſum eſt, qua re indicabatur, cælum antea nobis velatum, clauſum, impervium, per mortem Chriſti pandi & aperiri. Animæ ergo piorum ante Chriſtum deſcenderunt in limbum Patrum, ideoque Chriſtus poſt mortem eò de-

descendit, ut eos inde liberaret & educeret. Pius erat Jacob Patriarcha & pius Joseph, & tamen scriptura significat, utrumque non ad cælum ascendisse, sed ad inferos descendisse: *descendam ad filium meum lugens in infernum.* Quod non de sepulchro, uti moderni Novatores volunt, intelligendum, ratio ipsa convincit; Jacob enim putabat Josephum à bestiis devoratum, ideoque insepultum esse. Pius quoque erat Samuel, & tamen visus est non de cælo descendere, sed è terra ascendere. Hoc est quod ait S. Chrysostomus: *Antequam* Christus aperiret paradisi januam, cum latrone omnes Sanctorum animæ ad inferos deducebantur. Et licet aliqui ante Christum suscitati ab Elia & Elisæo resurre-

ſurrexerint, tamen illi tantum reſurrexerunt ad præſentem vitam mortalem, rurſumque mortui ſunt. Sic qui Chriſto moriente dicuntur reſurrexiſſe uti apud S. Matthæum legitur; non reſurrexerunt niſi poſt Chriſtum ſaltem poſterius naturâ, quia ipſorum reſurrectio fuit dependens à reſurrectione Chriſti tanquam à ſua cauſa; unde amplius non redierunt ad mortem & ſepulchrum, quibus ſanè miſerius fuiſſet rurſum mori, ſed cum Chriſto in corpore & anima glorioſi & triumphantes aſcenderunt in cælum. Hoc enim decebat triumphum Chriſti, ut cum in corpore glorioſo triumpharet, haberet pariter ſanctos in corpore triumphi ſui aſſeclas.

DICES. Animæ Sanctorum veteris Testamenti erant in sinu Abrahæ, non ergo in inferno. Resp. Infernum hîc Theologi limbum Patrum, scriptura sinum Abrahæ, Propheta Zacharias lacum in quo non est aqua appellant. Sinus ille & fuit locus felix, quatenus ibi deerat pæna sensus, & infernus, quatenus ibi aderat pæna damni, id est privatio gloriæ speratæ.

REPERTORIUM XVI.
CRUX CHRISTI.

HÆc est insuperabilis militum Christianorum armatura, firmamentum fidei, paradisi reseratrix, gloria perpetua orthodoxorum; crux inquam est signum rememo-

memorativum Chriſti paſſi, excitativum fidei, roborativum ſpei, inflammativum Charitatis, eſt primum ſignaculum fortitudinis, eſt currus triumphantis, quo Chriſtus hoſtes ſuos profligavit, eſt ſignum Regis, quo viſo dæmones trementes procul fugiunt. Hac videlicet cruce Chriſtus peccatum, mortem, diabolum à nobis depulit, homines impios, gentesque infideles ſubegit, ex impiis pios, ex infidelibus fideles, ex ethnicis Chriſtianos, ex inimicis amicos fecit. Hinc ſignum crucis fidelibus formare ſolemne fuit ad benedicendum, ad fugandos dæmones, imo ad quævis opera inchoanda & Deo offerenda. Crux eſt ſcala & via per quam Chriſtus omnesque Chriſtiani in cælum

conſcenderunt, & indies conſcendunt, ideoque non fugienda, ſed ambienda, dat enim DEUS cum cruce ſimul robur & conſolationem. Unde viri prudentes quotidie orant pro cruce, utque Deus eam indies augeat, ac majorem ſemper immittat, ut ſic Chriſto crucifixo ſimiliores fiant, ideoque Deo gratisſimi; ſi quid enim DEO gratius eſſet quam crux, utique illud dediſſet Filio ſuo. Iisdem armis pugnandum eſt militi Chriſtiano, quibus pugnavit Chriſtus, nullum enim efficacius telum aut clypeus eſt ad reſiſtendum tentationi dæmonis, carnis & mundi, quam cogitatio Chriſti crucifixi. Cum te pulſat aliqua turpis cogitatio, recurre ad vulnera Chriſti, cum te premit caro

caro tua, recordatione vulnerum Domini tui resurge; cum diabolus tibi parat insidias, fuge ad viscera misericordiæ Domini tui, & recedet à te: in omnibus adversitatibus non invenies præsentius remedium, quam vulnera Christi, in illis dormi securus, & requiesce intrepidus. Pulchrè S. Chrysostomus: *Vides inquit quomodo militem, qui se sequitur, Rex cælorum armat, non dedit scutum, non galeam, non arcum, non thoracem, nec aliud quid de genere horum, sed quod his omnibus firmius & valentius est, præsidium à cruce & symbolum victoriæ contra dæmones. Hoc gladius est, hoc clypeus, hoc thorax, hoc tutum propugnaculum, hoc portus, hoc perfugium, hoc corona; nihil medium est, crux & statim paradi-*

radisus. Et S. Augustinus: *Inspice vulnera pendentis, sanguinem morientis; pretium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum deniq; corpus ad redimendum.* Idem. *Noli per aliam viam velle ire, quam per illam quâ Christus ivit, dura videtur, sed ipsa est tuta via. Alia fortè delicias habet, sed latronibus plena est: per dura ambulavit, sed magna promisit.* Notent hoc molles hæretici, qui fidem Christi sequi volunt, non passionis vestigia, dicentes solam fidem in Christum sufficere ad salutem, Christum enim pro nobis planè satisfecisse: quare nulla esse bonorum operum nostrorum merita, satisfactio-

factiones nullas. Audiant hi quod intonat S. Paulus: *Si tamen compatimur ut & conglorificemur.* Eſto enim Chriſtus patiendo ſolverit plenum redemptionis noſtræ pretium, illique quoad valorem & pretii ſufficientiam nihil defuerit: vult tamen nos quoque pati; tum quia Chriſtus dux noſter in cruce præivit, quidni eum quaſi milites generoſi ſub crucis vexillo ſubſequamur; tum quia non decet ſub capite ſpinoſo membra eſſe delicata, ſed potius decet membra capiti configurari; tum ut ſic commune illud lytrum, quo à peccato redimamur, nobis applicetur, ut ſcilicet Chriſtus non tantum in ſe, ſed etiam in ſuis membris, quod eidem paſſioni defuit, ſimilia patiatur. Qui er-

go justus & innocens patitur, Christum imitatur, qui in flagellis corrigitur, latronem, qui in cruce cognovit Christum, & à cruce cum Christo paradisum intravit. Et quandoquidem Christus sua cruce dulcorat nostras cruces, ut non tam nos quam ipse in nobis patiatur, ideo militem Christianum, nullibi nisi in cruce Christi gaudere & gloriari decet. Crux avellit nos ab hoc sæculo, ejusque amore, illecebris & blandimentis. Vere Seneca: *Quantum possumus à lubrico recedamus: in sicco parum firmiter stamus.* Et. *Quasi inter se contraria sunt, bona fortuna & mens bona; ita melius in malis sapimus, secunda rectum auferunt.* Denique nullam gratiam dat Deus hominibus, nisi præ-

via cruce & tribulatione. Non miremini ô Chriſtiani milites vos vocatos ad crucem: nam & Chriſtus & anteſignanus veſter ad eandem vocatus, illam propriis humeris bajulavit, in eaque ſuſpenſus & enecatus eſt. Agite ergo Chriſtum ducem ſequimini alacriter & intrepide, per crucem enim cum eo intrabitis in gloriam.

QUÆRES 1. Utrum in cruce & tribulatione militi Chriſtiano ſit gaudendum? Reſp. quod ſic, & quidem non taliter qualiter, ſed pleno ſummoque gaudio. Alta hæc quidem eſt ſapientia & priſcis Philoſophis incognita; (eſto nonnulli in ea ſe gaudere ſimularint & finxerint, ut ſic patientiæ famam apud ho-

mines aucuparentur) nescivit hoc Aristoteles, non intellexit Plato, falsum censuit Anaxagoras, stultum Epicurus. Natura enim & naturalis ratio horret crucem, quasi naturæ & naturali statui, commoditati ac felicitati inimicam, & è diametro contrariam: Christus tamen suâ doctriná & gratiâ supernaturali, naturam adeo altè evexit, ut contra naturam de malo naturæ gaudeat. Prima causa est. Quòd verus Christianus in Dei amore defixus intentè amat Deum: amorem autem in eum nulla in re magis ostendere potest, quam si pro eo dura patiatur vel agat. 2. Videt Christum pro se tanta passum: ut ergo eum imitetur, eique vicem quam potest, reddat, desiderat pati-

pati cum eo & pro eo, sitit cruces & dolores, dicitque cum Indiarum Apostolo: *Domine ne hanc crucem mihi auferas, nisi majorem immittas:* Qua in re eximius fuit S. Andreas, qui visa cruce sibi parata, jubilans exclamavit: *O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata: accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.* 3. Quòd Deus eos, qui amore sui patiuntur, vicissim amplectatur, soletur, & fel passionis melle consolationis divinæ dulcoret. Id experiuntur omnes, qui libenter adversa pro Deo sustinent, & quo major crux, eo

major accedit consolatio. Ne despondeas ergo animum quisquis pateris cruces & afflictiones, quia quantùm exuberant mala, tantùm exuberant consolationes. 4. Quòd cogitat passionem & crucem esse modicam & brevem, ac mox pro ea se recepturum immensam & æternam gloriam; ac proinde talis crux non erit crux, sed vitæ & gaudii dux. Dicebat aliquando quædam Sancta, se non desiderare brevem vitam & celerem mortem, quia in cælo nulla est passio: desidero ergo vivere diu; quia desidero diu pati amore Dei, morbos, calumnias, infortunia, & quævis adversa. Itaque in morbis & morte fortiter standum & gaudendum militi Christiano.

QUÆRES II. An crux ſit honoranda. Reſp. Eſt honoranda non tantum illa quæ tetigit corpus Chriſti, ideoque contactu ipſius ſanctificata, ſed & quælibet alia quæ illius eſt repræſentatio & imago, ut videmus publicè in Ecclesia eam adorari in Paraſceve, non quidem cultu latriæ abſoluto ſive propter ſe, qui Soli Deo debetur, nec cultu ſuperduliæ, quo Beatisſimam Virginem honoramus, neq; cultu duliæ, quo Sanctos colimus, ſed cultu reſpectivo ſeu relativo propter Chriſtum, qui eam honoravit eligendo in ea mori, eſtque ſignum rei ſacræ, ideoquè ſanctum & venerabile, & ad Chriſtum ſingularem dicit reſpectum, quam dignitatem cætera ligna non habent. Si enim locus

locus in quo Angelus ſteterat habitus eſt dignus, quem Moyſes detractis calceis veneraretur, quid ni & lignum, in quo pependit Dominus Angelorum?

DICES I. Cum inimicis crucis Chriſti. Si quidquid Chriſtum aliquando attigit honorandum eſt, Ergo etiam labia Judæ & manus Malchi honoranda ſunt? Reſp. Inſtrumenta paſſionis honoramus propter contactum Chriſti, quia ſunt res innoxiæ, labia Judæ & manus Malchi non honorantur, quia ſunt partes hominum ſceleratorum.

DICES II. Crux attulit Chriſto ignominiam, impius autem eſt filius, qui honorat patibulum patris. Reſp. Si illud honoret quatenus illi peperit ignomini-

miniam, impius eſt, ſi autem quatenus gloriam, pius eſt.

DICES III. Si omnes cruces honorandæ ſint, quia Chriſtus in cruce pependit: Ergo pari ratione honoranda ſunt omnia ſepulchra, quia Chriſtus in ſepulchro jacuit, imo omnes aſini, quia Chriſtus aſino vectus eſt. Reſp. Omnes cruces honoramus, quia omnes ſunt imagines illius primæ crucis in qua Dominus pependit, non autem omnia ſepulchra, quia non omnia ſunt imagines ſepulchri Chriſti: nam ad imaginem non ſufficit ſimilitudo ſolius naturæ vel artis; ſed requiritur unius ex alio per imitationem ad illud primario repræſentandum expreſſio, quæ non eſt in omnibus. Aſinos non honoramus, quia non

ſunt

ſunt ſigna & inſtrumenta redemptionis noſtræ, eſtque animal per ſe vile & deforme, quæ autem ſunt colenda, nullam debent præ ſe ferre abſurditatem aut offenſionem.

DICES IV. Sit honoranda crux, at non eſt invocanda, quia eſt creatura inanima: Catholici vero invocant. *O crux ave ſpe unica* &c. *auge piis juſtitiam reisque dona veniam.* Reſp. Catholici illis verbis non invocant crucem, ſed crucifixum, ſumunt enim crucem per Metonymiam pro crucifixo, & talis invocatio non in cruce hæret, ſed ad prototypum ſuum refertur.

REPETORIUM XVII.

CONSTANTIA.

TRadunt Alchymiſtæ mira de ſuo lapide Philoſophico, ſcilicet ejus & ignis virtute argentum vivum & metalla in aurum converti : malim id credere ſpeculativè quàm practicè ; Audivi enim per Alchymiam multos divites o-per ad pauperiem rediiſſe. Id verisſimum eſt quod conſtantia militis Chriſtiani tribulationes omnes convertat in aurum, id eſt in gloriam præſentem & æternam, conſtantia enim parit & meretur coronam vitæ interminabilis ; ſicut victoria in ſtadio & agone parit & meretur bravium. Miles Chriſtianus ad apicem virtutis contendens, laboret & ſit conſtans , ut colu-

mna,

mna, quandoquidem conſtantia opus eſt ad vincendam innatam nobis animi mollitiem & pronitatem ad voluptuoſa, ad ſuperanda ardua, multi quippe benè incipiunt, ſed ſenſim langveſcunt. Ea enim eſt humana infirmitas, ut qui magno ſpiritu cæperunt ſervire Deo, ſenſim de ejus contentione remittant, langveſcant, laſſeſcant, tepeſcant. Diogenes à quodam monitus, ut jam ſenex quieſceret à laboribus. Reſpondit: *Quid ſi in ſtadio currerem, utrum oportet me metæ jam vicinum curſum remittere, an magis intendere?* Quaſi diceret. Non debeo refrigeſcere cum ad finem vitæ & agonis accedo, ſed magis accendi. Non quæruntur in milite Chriſtiano initia, ſed finis. Paulus malè cæpit, ſed benè finivit.

vit. Judæ laudantur exordia, sed exitus proditione damnatur: incipere enim plurimorum est, perseverare paucorum. Nulla re magis vincuntur tentationes carnis & diaboli, quam perseveranter ei resistendo, vacandoque orationi. Hinc inter virtutes sola perseverantia coronatur, frustra velociter currit, qui priusquam ad metam venerit, deficit. Optimè Seneca: *Nihil ait est quod non expugnat pertinax opera & intenta ac diligens cura. In excelso est vita beata, sed perseverantiâ penetrabilis. Non est vir fortis ac strenuus, qui laborem fugit, nec crescit illi animus ipsa rerum difficultate.* Cyrus & forma fuit pulcherrimus, & animo humanissimus & discendi adipiscendique honores cupidissimus: adeo-

adeoque nullum non laborem pertulit, nullum non periculum laudis gratiâ ſuſtinuit. Quid jam faciet miles Chriſtianus pro laude & gloria æterna?

Denique ſapiens & pium conſilium ad hoc donum aſſequendum eſt, ut aſſiduè pro eo oremus, nimirum ut Deus det gratiam copioſam quâ perſeverare poſſimus, utque tanquam paſtor bonus nos quaſi oves ſuas iis viis, mediis auxiliis regat, dirigat, ducat, quibus præſcit nos recta progreſſuros in gratia, ut nullum peccati gravioris lapſum incurramus, ſed rectis itineribus pergamus ad cæleſtem gloriam & beatitudinem. Nemo nobis conſtantiam, nemo animos, nemo fidelitatem infringat aut imminuat, non carceces, non vincula,

non

non plagæ, non deliciæ, non tentationes, non difficultates, non terrores: quin potius hæc omnia certantibus & currentibus nobis vires animosque addant. O quam ſvave & jucundum erit morituro in hora mortis, teſte conſcientiâ ſibi dicere: Bonum certamen certavi, curſum conſumavi, fidem ſervavi! Certando curſu vici, & victor metam attigi, fidelis fui athleta, perſeveravi alacris in contenta hac pugna ad finem usque vitæ. Hæc ſunt verba non ſe jactantis ſed conſolantis. Simili ſpe & conſtantia S. Ambroſius moriens dixit: *Nec mori timeo, nec vivere recuſo, bonum enim habemus Dominum.* Certemus ergo generosè, curramus ſtrenuè dum vivimus & vigemus, ut in illo ultimo vitæ

vitæ articulo, & puncto, in horizonte inquam æternitatis, qui separabit & disterminabit nos in perpetuum è vita hac temporanea, & in alteram, quæ totius est æternitatis, transcribet, de vita transacta gaudere, de futura quam optimè sperare possimus. Quamdiu enim spiramus & vivimus, est *hodie* nostrum: qui ante centum, ducentos, trecentos, mille annos vixerunt, habuerunt suum *hodie*, id est suum tempus procurandæ suæ salutis: illis hoc jam transiit. Nobis adhuc superest *hodie*, si non totum, certe aliqua ejus pars, utamur nostro hodie, crastinum nunquam habituri. *Sera dies nimis est crastina, vive hodie.* Cogita hodie primum & ultimum fore diem, quo Deo servis & servies, ita fiet ut

ut semper constans & alacer omne tædium vincas, & alacriter in Dei obsequio progrediaris. Apud DEum in numerato sunt omnes anni, omnes dies, omnes horæ, imò omnia momenta vitæ nostræ. Definivit DEus cuilibet terminos vitæ & mortis; ac proinde præscit quo die quisque sit nasciturus, quod annos victurus, quo die quo momento moriturus. Huic præscientiæ & decreto Dei, nec diem nec horam nec momentum addere possumus. O si sciremus quam pauci dies & horæ nobis supersunt! O si sciremus quanta gloriæ & bonorum lucra in cælis, singulis horis per actus humilitatis, patientiæ, obedientiæ, charitatis & orationis comparare possimus! O si cogi-[illegible]emus post hoc tempus, nullum nos

nos habituros instans benè operandi, quomodo viveremus? quomodo opera operibus, merita meritis, lucra lucris instar mercatorum opibus inhiantium, accumularemus?

QUÆRES I. Cur homo etiam perfectus tam facilè à primo fervore tepescat? Resp. 1. Quia animi est mobilis, mollis & inconstantis. 2. Quia difficile est & violentum difficultatibus & tentationibus, quot indies occurrunt, resistere. 3. Quia gratia in nobis est quasi in loco alieno, non naturali; unde natura nostra, nisi vis continua adhibeatur, ad se & naturalia sua desideria redit. 4. Quia habemus innatam concupiscentiam, quæ gratiæ & bono semper reluctatur, contra quam pugnare

quasi

quasi adverso flumine, imo fluctu Miles Christianus remigare debet.

QUÆRES II. Utrum homo justus certò possit scire se esse justum & in statu gratiæ. Respondit olim S. Gregorius ad similem quæstionem Gregoriæ cubiculariæ Constantiæ Augustæ, petenti sibi dari plenam certitudinem & revelationem de remissione peccatorum suorum. *Rem ait S. Gregorius & difficilem & inutilem postulasti: difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat peccata tua tibi dimissa esse; inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata, minimè valebis. Quo dies quousq; veniat, suspecta semper ac semper trepida metuere culpas debes,*

bes, atq; eas quotidianis fletibus lavare. Certe Paulus Apostolus jam ad tertium cælum ascenderat, in paradisum quoq; ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non licet; & tamen adhuc trepidans dicebat, Castigo corpus meum & servituti subjicio ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet, qui jam ad cælum ducitur, & jam timere non vult, qui adhuc in terra conversatur? Perpende dulcissima filia, quia mater negligentiæ solet esse securitas: habere ergo in hac vita non debes securitatem, per quam negligens redderis; scriptum est enim: Beatus vir qui semper est pavidus. Et rursum scriptum est: servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Hinc patet contra modernos Novantes,

tes, justos non certo scire, multo minus credere, se esse justos; putamus enim sæpe nos benè agere, cum malè agimus, putamus nos ex gratia & Dei amore facere, quod amore nostræ gloriæ vel cupiditatis facimus. Quia sicut opera nostra nobis incerta sunt, ita & fides, quæ sola juxta Novantes justificat, quia non certo scit homo se credere in Christum fide firma & divina, ergo multo minus scit se per illam esse justum. Idem alibi sæpe docet spiritus sanctus: *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit.* Et. *Quis potest dicere mundum est cor meum.* Sunt tamen nonnulla efficacia testimonia, quod quis sit in statu gratiæ. V. G. pia vita, mundi contemptus, cælestium desiderium, pax

conſcientiæ, libenter loqui, audire & cogitare de Deo, & rebus ſalutis, zelus honoris Dei, pro eo multa pati odium ingens peccati. Ex his ſignis & teſtimoniis oritur in anima noſtra certitudo conjecturalis quæ tamen certitudo cum ſanctitate creſcit (non fidei uti hallucinantur Novatores, cui enim in particulari revelavit hoc) quæ nobis ſufficere debet, nec alia quærenda eſt. Deus enim vult noſtram ſpem mixtam eſſe formidine, nosque ſollicitos ac ſuſpenſos tenere, ut ſecuritate non torpeſcamus, ſed cum metu & tremore vigilanter & ſtudiosè noſtram ſalutem operemur.

QUÆRES III. An plures homines damnentur, quam ſalventur? Reſp. Si omnes omnino homi-

homines etiam gentiles, Judæos, hæreticos, orthodoxos comprehendas, certum est plures damnari: si autem solos Catholicos, aliis exclusis, censent nonnulli plures ex eis salvari, ex eo quod plerique omnes in fine vitæ sancta Sacramenta suscipiant. Deinde probant parabolâ nuptiarum, à quibus unus solus ex invitatis exclusus fuit, eo quod non haberet vestem nuptialem, ubi unus ille repræsentat totam multitudinem reproborum. Ratio tamen & autoritas contrarium suadet ex Catholicis adultis plures damnari quam salvari.

Ratio 1. Quia longe plures fuerunt damnati tàm in lege non scripta (nam omnes perierunt per diluvium, exceptis octo anima-

bus) quam lege Mosaica in qua ex sexcentis hominum millibus tantum duo Josue & Caleb ingressi sunt terram promissam.

2. *Ratio.* Major pars Christianorum vivit in statu peccati mortalis, multi in præliis, navibus, montibus, pagis peste moriuntur sine Sacramentis, multi laborant ignorantia crassa articulorum fidei, quos explicitè scire & credere tenentur. Et quamvis multi in fine vitæ suscipiant Sacramenta, tamen ignorant efficax propositum abstinendi à peccatis requiri; est enim propositum hoc serium res ardua, sublimis & difficilis. Porro multos carere hoc serio proposito colligitur ex eo, quod semel illud eliciant in Paschate, quia à Parocho suo ad

hoc coguntur, unde hoc propoſitum magis extortum eſt & coactum quam liberum & ſpontaneum: hinc mox à confeſſione ad ſuas cupiditates, vitia & ſcelera redeunt: alii poſt confesſionem in periculo mortis peractam, ſi periculum hoc evadant, prioribus peccatis ſe immergunt, & obruunt. Deinde multi malos habent habitus inebriandi ſe, fornicandi, rixandi, pejerandi, maledicendi quos deponere nolunt; unde ex habitu tot annorum formant in confesſione & etiam morte tale quale propoſitum ſcilicet ſuperficiale, verbale & inefficax.

3. *Ratio.* Multi habent principia politica in quibus à puero enuntriuntur. V. G. injuriam talione eſſe vindicandam, & qui id

id non facit est inglorius, infamis & vilis: Duellum si offeratur esse acceptandum, ne honor perdatur: in conviviis æquali haustu certandum, ideoque inebriandum.

4. *Ratio.* Aliqui in morte confitentes tametsi concipiant verum & efficax propositum, si autem postea pluribus diebus ut fit decumbant, recurrit memoria pristinarum cupdlitatum, quas sani & vegeti mortificare non curarunt, præsertim quia dæmon tunc easdem menti objicere solet; unde multi in ipso agone & ultimo duello, quo anima è corpore migrat, succumbunt & pereunt. Verè enim dixit quidam vir doctus & religiosus: *Passio & vitium quod in vita mortificare neglexi-*

glexisti, acriter tentabit te ingruente morte.

5. *Ratio.* Virtus, salus & gloria cælestis est res sublimis, perdifficilis & ardua, superans omnes naturæ vires, natura enim hominis per peccatum corrupta ad res terrenas depressa est ad cupiditates opum, honorum, commoditatum, delitiarum, ut vix ad res cælestes se erigat, sed præsentibus potius studeat. Esto gratiâ Dei homo præveniatur; tamen illa perinde se habet in homine lapso, uti medicina in homine infirmo, ut illum vix erigere queat; & si erigat, facilè rursum collabatur & corruat. Porro præ reliquis vitiis passim in hominibus dominatur luxuria & superbia:

bia: hæc duo potentissima sunt quæ implent infernum.

6. *Ratio.* Auctoritas est scripturæ sacræ. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Et. *Intrate per angustam portam, quia lata porta & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* Unde S. Gregorius: *Ad fidem plures inquit veniunt sed ad cælestia regna pauci perducuntur.* Cum ergo tam multi etiam Christiani damnentur, tum pauci salventur, quis non timeat? Quis non inter paucos esse satagat? Quis non pericula salutis studiosè devitet? Unam enim habemus animam non plures: una perdita omnes perdimus,

dimus, idque irrevocabiliter in omnem æternitatem, ut per eam futura miserrima urendaque æternis incendiis. Ex adverso si unam salvas, omnes salvasti, ac in æternum eris felicissimus & gloriosissimus. Hoc cogita quisquis hæc legis, vive Deo, vive æternitati.

REPERTORIUM XVIII.

ADHORTATIO AD GENEROSE CERTANDUM.

Epaminondas dux Thebanorum fortissimè in bello dimicans, læsus ad mortem, moriens rogavit, an suus clypeus esset salvus, & an hostes essent cæsi; cum & illum salvum & hos cæsos audis-

ſet; *Nunc finis ait vitæ meæ, ſed melius & altius initium advenit: nunc Epaminondas naſcitur, quia ſic moritur.* Si Epaminondas pro victoria temporaria, pro laude & gloria corruptibili ita certavit, ita lætè & gloriosè mortuus eſt, quid faciet miles Chriſti pro corona incorruptibili, pro gloria ſempiterna. Unde pulchrè S. Baſilius militem Chriſtianum cum milite ſæculari conferens, ita excitat ad alacriter pugnandum dicens: *Miles terrenus quocunq; loco mittitur, paratus ac promptus eſt, neq; ſe uxoris aut liberorum gratia excuſare audebit: multo magis miles Chriſti ſine aliquo impedimento regis ſui imperio debet obedire. Ille in prælio galeam ferream geſtat, ſed tua galea Chriſtus ſit, qui eſt caput*

tuum.

tuum. Ille lorica ne vulneretur indutus est: Sed tu pro lorica sis fide Christi circumdatus: Ille contra adversarium suum mittit lanceas & sagittas: tu contra adversarium divina eloquia jaculare. Ille donec pugna geritur arma à semetipso non projicit, ne ab adversario vulneretur: ita & tu nunquam debes esse securus, quia tuus hostis hoste illius astutior est. Ille si superaverit, domum revertitur: tu vero hoste prostrato in illud cæleste regnum cum omnibus sanctis intrabis. Currite milites Christiani non tantum alacriter ut comprehendatis, sed & quam optimè & velocissimè currite ut primum & nobilissimum gloriæ bravium reportetis; socordis enim animæ est dicere: sufficit mihi si salver, si ad cælum per-

perveniam. Quisquis enim conari debet, ut in cælo sit primus, primumque ibidem referat bravium. Ideo S. Bernardus: *Ipse inquit hominis sæculiq; auctor, quamdiu cum hominibus conversatus est nunquid stetit? & quidem teste scriptura pertransiit benefaciendo & sanando omnes. Pertransiit ergo sicut non infructuosè ita non remissè, non pigrè non lento gradu:* Idem alibi: *Si studere perfectioni, est esse perfectum, profecto nolle proficere deficere est. Ubi ergo sunt qui dicere solent, sufficit nobis, nolumus esse meliores quam patres nostri? ô miles non vis proficere? Non vis ergo deficere? Neutiquam. Quid ergo? Sic mihi inquis vivere volo & manere quo perveni, nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Et mox hoc*

hoc refellit dicens: Quod si illo currente tu gradum sistis; non Christo appropias, sed te magis elongas, currentem enim non apprehendit qui & ipse pariter non currit, timendumq́ tibi est quod ait David: Ecce qui elongant se à te Domine, peribunt. Itaq́ si proficere currere est, ubi proficere, ibi & currere desinis: ubi vero non currere, ibi & deficere incipis. Hinc plane colligitur, quia nolle proficere, non nisi deficere est. Hujusque S. Bernardus. Alioqui pæna victi est reprobatio & confusio æterna. Cingulum militare in baptismo accepistis, ut eo admoneamini Sacramenti militaris & fidelitatis, quam vestro duci jurastis, ut illi quasi Capitaneo imo sponso fideles sitis usque ad mortem pro eo contra diabolum & quo-

quosvis hoſtes depugnetis, uti fecerunt SS. Martyres, qui maluerũt perdere vitam quam fidem & obedientiam Chriſti. Tales debent eſſe omnes milites Chriſtiani, nimirum ita fideliter ſervire & obedire Chriſto, ut malint ſubire mortem & quasvis pænas, quam Chriſtum offendere, ejusque legem transgredi. Videte ergo ô milites ne fidem Deo in baptiſmo datam violetis, fidem dico, quam quaſi milites militiæ & vexillo Chriſti adſcripti debetis Duci veſtro, quamquè quaſi Conjuges eidem Chriſto debetis quaſi ſponſo. Mementote vobis bellum cum dæmone eſſe non tantum pro Capitaneo, ſed & Sponſo veſtro. Sicut ergo milites pro conjugibus ſibi chariſſimis

mis fortisſimè pugnant, in enſes & mortes ruunt: ita & vos pro Chriſto ſponſo veſtro fortisſimè ád mortem usque pugnate: qui enim capitaneus veſter eſt Chriſtus, idem & ſponſus & maritus eſt veſter. Mentium fortisſimarum indicium eſt, hoſtium incurſus non timere, nec tentationum moleſtiâ triſtari. Accipe militum & heroum Chriſtianorum exempla. S. Antonius à dæmonibus laniatus & ſemi mortuus relictus, provocabat eos dicens: *Ecce ego hîc ſum Antonius, non fugio veſtra certamina, etiamſi majora faciatis, nullus me ſeparabit à charitate Chriſti.* S. Hilarion *quadam nocte* ait Hieronymus *cæpit infantium audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctum qua-*

si mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, & rursus variarum portenta vocum. Intellexit dæmonum ludibria esse, provolutus genibus, Christi cruce se signavit in fronte, taliq; atmatus cassîde, & lorica fidei circumdatus, jacens fortius præliabatur.

S. Ephrem cum sentiret se in altissima pace & tranquillitate mentis, quasi in in cælo terrestri impassibilitatis constitutum, rogavit DEum, ut pristina tentationum certamina & prælia sibi restitueret, ut non perderet materiam merendi & pertexendi suam coronam.

Quidam discipulus tentatus à spiritu fornicationis adiit senem suum, à quo rogatus: *Vis rogo Dominum, ut sublevet*

vet à te molestiam istam? Respondit: *Video Abba, quia si laboro tamen ex pondere laboris hujus considero fructificare me: Sed hoc roga Deum, ut det mihi tolerantiam, per quam sustineam.* Cui Abbas: *Nunc agnovi, quia in magno profectu es fili, & supergrederis me.*

Sara tredecim annis à spiritu fornicationis impugnata, nunquam oravit, ut recederet à se hujusmodi pugna, sed solùm dixit: *Domine da mihi fortitudinem.* Religiosus quidam indoluit, quod Deus ei ademisset tentationem qua pulsabatur, lacrymando amice dixit: *Ergo ne Domine* indignus sum, qui patiar, affligar, & tribuler pro nomine tuo?

QUÆRES. I. Quæ sint media incitantia ad perfectionem assequen-

quendam? Resp. *Primum* medium est, ut scias & persvadeas tibi te non esse perfectum; qui enim se putat perfectum, quasi de meta securus consistit, nec progredi aut proficere se laborat: qui verò longius se à meta abesse videt, incitatur, ut ad eam contendat. Hinc quantumcunque profeceris cogita te necdum esse perfectum, sed magis indies debere proficere.

Secundum est strenua generositas & studium ad progrediendum in virtutibus; si videlicet te exerceas strenuè & adigas ad heroica virtutum opera: plus enim perficies uno heroico actu, quàm viginti communibus & ordinariis. Porro heroica hæc opera sunt. 1. Heroica sui victoria, atque heroica suarum passionum & appetituum refræ-

refrænatio. 2. Difficultates & obices, qui virtuti se objicere solent, heroicè superare. 3. Ad ardua & excelsa conari moliriq; res magnas, quibus Dei gloria promovetur.

Tertium. In omnibus tam tristibus quam lætis conforma te voluntati Dei.

Quartum. Vis cito esse perfectus, recipe te in fundum animæ tuæ, ac inibi diligenter scrutare, quid te maximè inhibeat & distineat ne purus sis ac liber, & hunc laqueum, hunc lapidem radicitus reseca.

Quintum Natura nostra fallacissima est, ac mille angulis & versutiis prædita, in quibus seipsam fovet ac retinet. Inter hæc maximum est, quod etiam Religiosos tenet & subinde sanctos, velle videri,

deri, velle ut alii ad eos se convertant, ut ipsis honorem deferent, hoc planè abnegandum est.

Sextum. Abstrahe te saltem mente ab omnibus hominibus.

Septimum. Expedi te ab omnibus rebus, quæ si tibi acciderent, affectûs adhæsionem, & curas nimias ac solicitudines adveher ent.

Octavo. Animum tuum fige in Deo quasi in scopo, cætera verò ut jejunia, vigilias, paupertatem, molestias huc refer.

Nono. Sic te in omnibus Deo resigna, ut si quis vasto jactetur pelago, ac pallio resideat, talis enim quid agat, nisi ut Deo se totum resignet? sic & tu facito.

Decimo. Disce contemnere omnia & contemni ab omnibus, ut

cum

cum S. Paulo fias purgamentum mundi & peripsema omnium.

Undecimum est. Semper ob oculos habere præmium in cælis dandum ad quos nos vocat DEUS. DEus enim, qui agonotheta in supremo cælorum throno residens, nos cursores strenuos post mortem in cælum ad se vocabit, ut ibi superna & cælesti palma coram omnibus Sanctis & Angelis nos donet, & corona gloriæ quasi victores & triumphatores, coronet.

Nunquam verô miles Christianus animo cadat aut fiat pusillanimus si labatur, aut non tantum proficiat quantum optaret: imò hoc signum est, quod tendat ad perfectionem, si hoc ipsum in se notet & advertat, ideoque sibi displi-

ſpliceat: ipſa enim eſt perfectio hominis inveniſſe ſe non eſſe perfectum.

QUÆRES, II. Quæ ſit praxis efficax currendi ad perfectionem? Reſp. *Prima eſt.* Si quis coram Deo ſincerè & penitiſſimè ſe ipſum examinet, ut intimè ſe ſuasque inclinationes omnes tam malas quam bonas pervideat, ac clarè cognoſcat, quid eum maximè à progreſſu in virtutibus impediat & remoretur; quæ ſit origo & radix omnium ſuorum vitiorum & imperfectionum.

Secunda. Ut cognito & perſpecto hoc vitio ſuo radicali, ſerio & efficaciter proponat illud extirpare, totoque die intentos & defixos habeat oculos in illud, perinde ac

in

in hostem capitalem cum quo quotidie duellum ineundum est.

Tertia. Huic multum juvabit examen sui particulare: Si manè resolutè proponas, illud ipsum toto die heroicè supprimere, per diem assiduè in illud idem intendas, illudque jugiter cohibeas; si quando labi te contingat, mox indoleas, & alacrior fortiorque resurgas. Si enim milites resoluti & certi aut vincere aut mori quasvis acies & arces perfringunt, quid non perfringet in se, suaq; voluntate generosus & resolutus miles Christianus.

Quarta. Si te in continuo Dei amore exerceas, omniaque opera etiam indifferentia, uti

ſunt ſtudere ſcribere, edere, ludere, dormire, ambulare, laborare ex amore Dei, initio cujusque operis excitato inchoare & perficere ſtudeas. Rurſum ſi adverſa omnia DEo per amorem offeras, omniaque generosè & hilariter Dei amore ſuſtineas. Denique ſi vitia ac præſertim radicale tuum quoties eruperit, Dei amore mortifices & reſeces.

Age ergo ô athleta Chriſti in hoc ſtadio, totis viribus decurre, certa bonum certamen apprehende vitam æternam. Quam durum tibi jam eſt currere & fatigari, tam jucundum tibi erit in meta dicere cum ſanctoPaulo: *Bonum certamen certavi, curſum conſumavi, fidem ſervavi, in reliquo repo-*

repoſita eſt mihi corona juſtitiæ. Vita brevis, ſtadium breve, corona æterna eſt. Forſan hodie curſum tuum incidet, vitam tuam abrumpet DEus: tunc currere amplius non poteris, tunc quod in curſu hoc temporis momento neglexeris, ſerò reparare voles, quia hanc negligentiam per omnem æternitatem emendare & reſtaurare non valebis. Quod nunc negligis, in æternum negligis, quod nunc perdis inæternum perdis. Et quid perdis? ſingulis momentis perdis coronas amplisſimas, non aureas non gemmeas, ſed cæleſtes ſed angelicas. Manè ergò cum ſurges cogita: hodie cæpi currere, hodie cæpi Deo ſervire, hodie forſan & finiam. Sic vivam ergo, quaſi hodie moriturus;

rus; sic curram quasi hodie cursum consummaturus. Itaque curram velociter, quia currendi tempus breve est, & grandis mihi restat via in cælum.

FINIS.

UTILIS PRAXIS PIUM FOEDUS CUM DEO,

Quotidiè ineundi per literas Alphabeti.

ALTISSIME DEUS.

ALtissimus es altitudine substantiæ, quia omnes essentias rerum in immensum transcendis, altissimus altitudine scientiæ, hæc enim in te est incomprehensibilis. Altissimus altitudine potestatis, omnia enim quæ voluisti fecisti. Altissimus altitudine majestatis, tuo siquidem imperio

omnia ſunt ſubdita, Teque omnes creaturæ adorare & venerari debent. Altisſimus denique altitudine habitationis, qui habitas in cælo empyreo, quaſi throno gloriæ tuæ, ubi Te celebrant omnes Angeli & Beati.

BEATISSIME DEUS.

Tu Tibi ſufficientiſſimus, cōpioſisſimus, ditisſimus, munificentisſimus, qui me ditare bonisque omnibus cumulare potes. Tu DEUS omnes gloriæ, omnes opum, omnes ſcientiæ, omnes gaudii, omnes deliciarum tuarum theſauros, imò Te totum in electos amicos tuos in cælo transfundis. In Te ergo unico bono meo, me totum defigo, hæc requies mea, hoc centrum cordis

mei,

mei, hoc unicum omnibus votis & ſtudiis proſequar.

CELSISSIME DEUS.

Celſitudinem ac ſublimitatem tuam veneramur in Te, quia Tu es primum ac ſummum Ens, quia Tu es prima cauſa, à qua omnes cæteræ cauſæ, dependent, ideoque colendus latria, precibus, votis, ſacrificiis, gratiarum actione, quia Tu es ſumma & infinita perfectio.

DILECTISSIME DEUS.

Tu enim es creator, donator, & conſervator ipſius cordis omniumque bonorum naturalium & ſupernaturalium, quæ in corde totoque homine ſunt: ac proinde diligendus es comparativè, ita ut totum cor & affectum meum tibi,

nullam ejus partem dæmoni aut peccato dem: diligendus finaliter, ut Te habeam finem omnium mearum actionum, & ut summum bonum rebus omnibus præferam: diligendus appretiativè applicando voluntatem meam ad tuæ legi per omnia obediendum. Tu Te totum dedisti mihi, ego vicissim me Tibi totum do, & reddo.

EMINENTISSISME DEUS.

In te omnimoda bonitas modo eminentissimo; Tu enim es sine quãtitate magnus sine qualitate bonus, sine numero infinitus, sine figura formosus, sine tempore æternus, sine loco immensus, sine situ altissimus, sine habitu sanctissimus. Tu Deus es ipsa boni plenitudo, à Te omnia

omnia lucida suam trahunt lucem, omnia sapientia suam sapientiam, omnia sancta suam sanctitatem, omnia pulchra suam pulchritudinem, omnia perfecta suam perfectionem. Vilescant ergo nobis omnes opes, omnes honores, omnes deliciæ: quia Tu es honor, opes, deliciæ, dulcedo, beatitudo nostra, bonum omne, mali omnis expers.

FELICISSIME DEUS.

Gaudeo de tua felicitate, ab hac enim omnes angeli, homines & creaturæ suam felicitatem emendicant & hauriunt. Tu siquidem ita plenus & superplenus es omnibus bonis, ut velut fons inexhaustus & pelagus bonorum omnium exuberes & redundes

perpetua & inceſſabili donorum largitione, & quo quisque ad Te propius accedit, hoc felicior & beatior fit. Erubeſcat ergo noſtra ingratitudo quæ Tibi in ſe tam liberali adeo parcè obſequio ſuo ſe ſuaque omnia impendit.

GLORIOSISSIME DEUS.

Majeſtas tua & divinitas eſt origo & fundamentum immenſæ gloriæ tuæ, ob quam dignus es ab omnibus glorificari & celebrari. Angeli ſunt quaſi currus tuus regalis, bellicus, glorioſus & triumphalis, quo veheris, quoque regis, imperas, ſuſtines & moderaris totum mundum.

HOMO DEUS.

In Te ſibi complacuit Pater, quia

Te

Te uti Filium ſuum infinito amore diligit, per Te ſolum placuit homines redimere. Per Te in Te credentes Pater diligit, ſanctificat, filios & hæredes ſuos deſtinat, & omnes qui Tibi placent, placent & ipſi. Tu qua Deus es ſumma bonitas, ſumma ſapientia, ſumma potentia, ſumma clementia, ſumma majeſtas, quâ homo plenus, gratia, veritate, virtute, in quo omnes theſauri ſapientiæ & gratiæ ſunt reconditi.

IMMENSE DEUS,

Tu manes intra omnia, extra omnia, ſupra omnia, infra omnia: ſuperior es per potentiam, inferior per ſuſtentationem, exterior per magnitudinem, interior per ſubtilitatem, & tamen ubique u-

nus, idemque totus es. Inferior & ſuperior ſine loco, amplior ſine latitudine, ſubtilior ſine extenuatione. Tu inquam es circulus, cujus centrum eſt ubique, circumferentia nusquam.

CARISSIME DEUS.

Magni æſtimamus Te, habes enim in Te omne pretium poſſibile & imaginabile, imo ultra quam quis imaginari poteſt. Quid enim extra quærat, qui Te pretium mundi intra habet? O quam felix, qui non delicias, non opes, non aliquid creatum æſtimat, ſed unum immenſum & æternum pretium? Utinam mille cordibus Te amare, mille lingvis Te æſtimare poſſum.

LIBERALISSIME DEUS.

Hæc dos propria Tibi, ut des omnibus omnia, & à nemine quicquam recipis. Tu ſolus ſinus omnes animæ meæ imples, Tu ſolus torrente, imo pelago voluptatum potare me ſufficis. Tu Te communicas ſæpe antequam rogeris. Tanta eſt plenitudo eſſentiæ tuæ, ut in alios Te effundere geſtias. Tu tuis es & eris omnia in omnibus.

MISERICORDISSIME DEUS.

Tanta eſt hæc tua miſeratio, ut viſcera tua ipſumque Unigenitum Tuum Chriſtum in nos effundas. Hæc promanat à Te, tuoque amore in nos immenſo, tanta inquam eſt miſericordia Tua quanta eſt Tua deitas. Tu miſere-

sereris potius quam indignaris, miserendi causam sumis ex Te, puniendi aliunde, alienum & peregrinum est apud Te punire. Misericordia Tua nunquam senescit, semper viret, quasi nova & recens. Magna est loco & tempore, quia ad omnes homines se extendit. Tua denique misericordia tantum apparet in hac vita, justitia vero in altera.

NOMINATISSIME DEUS.

Tu quidem nomine proprio non eges, quia unus es, quia ineffabilis es; nomen tamen tuum est ipse Deus & divinitas toto orbe notissimum, nominatissimum famosissimum. Tu vocaris Deus quia Dominus & creator. Vocaris ens purissimum & simplicissimum habens

habens ab æterno omne esse ex Te independens, quidquid enim in Te est non accidens, sed est Tuum esse. Cætera omnia habent non esse, omnis quippe creatura priusquam crearetur, habuit æternum non esse, & quod nunc habet, ex voluntate tua habet, quantum, quemadmodum & quousque Tu vis; cum in potestate tua sit illud conservare, & omni momento annihilare. Nomen tuum est ævum ævorum. Tu es ascensor & Dominus æternitatis.

OCULATISSIME DEUS.

Tu omnia etiam abditissima & intima vides, penetras, examinas, judicas & vindicas; nihil est tam absconditum quo non penetrant oculi tui. Tu es judex & censor cogi-

cogitationum, Tu perſpicis profundum animæ noſtræ, uti nos perſpicimus lapillos in fundo limpidiſſimæ aquæ jacentes. Tu totus es oculus & fons omnis lucis, Tibi apertũ eſt omne ſecretum, & obſcura clarent: nulla omnino obumbratio eſt in Te, quia à Te ſemper prodit lux nunquam tenebræ, omnia vides & à nemine videris.

PRÆSENTISSIME DEUS.

Ubique es præſens, nullis incluſus locis, implens cælum & terram. Cum tonat, fulgurat, fulminat, cum ſerenat præſentem aſpicimus; ubique es non tantum nobis proximus, ſed & infuſus, resque omnes creatæ ab hac intima Tua præſentia ita pendent, conſervantur & gubernantur, ſicut corpus & vita corpo-

corporis pendet à præſentia animæ. Extra te exire non poſſumus, quia ubiq; es & quia es immutabilis, ubi ſemel es, ſemper,es & quia ubique es, ubique etiam operaris. Sine Te nullus locus eſt, nec eſſe poteſt.

QUIETISSIME DEUS.

Mens Tua dum impios & peccato perditos punis ac damnas, eſt ſerenisſima, quietisſima & pacatisſima. Tu noſti & quieſcens agere & agens quieſcere. Tu conſilio alternante non variaris, ſolo verbo & nutu efficis quidquid volueris, puniendo hos, præmiando illos ac regendo totum orbem: ſicut peritus auriga ſedens in curru placidè ſolo nutu aurigatur, regitque equos & currum.

REX REGUM.

Regnum tuum propriè eſt regnum cælorum, ibi enim per gloriam regnas in beatis, qui per potentiam & providentiam regnas in toto orbe. Tu ſolus es univerſalis & ſummus cæli, terræ, Angelorum, hominum, rerumque omnium Rex & Dominus. Tu ſolus Dynaſta & princeps, habens à Te ipſo omne Dominium, abſolutam poteſtatem, ſummum principatum: cæteri principes umbraticum, exilem & temporaneum dominatum habent. Tu inquam es Rex potentisſimus, glorioſisſimus, plenus gloria & majeſtate, ob quam dignus es ab omnibus adorari, laudari, celebrari & glorificari.

SAN-

SANCTISSIME DEUS.

Præcipuum tuuum attributum eſt ſanctitas, increata illa & infinita: adeò ut ſanctitas Angelorum omniumque hominum ad tuam comparata ſit inſtar nihili & veluti impuritas quædam. Tu ſolus ſanctus, quia puriſſimus ſpiritus. Charitas & amor tuus eſt ipſa ſanctitas. Tu ſanctus ſanctorum, oblitus tot offenſarum & injuriarum noſtrarum ad nos ſanctificandos Tibique reconciliandos miſiſti Filium tuum in carnem, imò in mortem crucis. Tibi igitur ſummam debemus reverentiam, cultum, preces, oblationes, vota, gratitudinem, obſequium & amorem.

TRI-

TRINE DEUS.

Quamvis in Te ò Sanctissima Trinitas sint tres Personæ, una tamen voluntas, unus amor, unus omnium consensus, eadem potestas, & æternitas. Tria hæc unum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum Sanctum, unus tamen non est alter. O una Deitas! ô divina Trinitas! ô trina Æternitas! ô increata communio & societas, tres personæ in una essentia divina. Gloria ergo Patri ex quo omnis potentia, gloria Filio per quem omnis sapientia, gloria Spiritui sancto in quo omnis bonitas.

UNUS DEUS.

Tu omnium rerum perfectio- nes

nes in Te contines, ideoque unus es, integrum non diviſum habes imperium, ergo unus es. Tu es Monarcha & rector mundi: videri non potes, quia viſu clarior es, comprehendi non potes, quia tactu purios es, æſtimari non potes, quia ſenſu major es. Tu primum movens & gubernans, omnia enim reducis in unum ordinem, ideoque digne Te æſtimamus, dum inæſtimabilem Te dicimus. Tibi igitur quaſi Deo noſtro optamus & tranſcribimus omne bonum tuum, Tu enim es DEus noſter, amor noſter bonum noſtrum orbisque univerſi & omnia.

ZELOSISSIME DEUS.

Zelotes diceris, quia amas creaturas tuas, ut apud illas in amore

&

& zelo primus ſis, nec quiſquam Tibi in eo præferatur. Ardenti zelo amas nos & eodem vis amari à nobis: conſortis & rivalis impatiens, nec pateris ut alios amemus præter Te ipſum, & ideô cor noſtrum magno zelo affectas, & ſi à nobis non ameris, indignaris & ſævis tanquam urſa raptis catulis raptori occurrens. Nos igitur decet huic Tuo amori occurrere, vicemque vici & zelum zelo rependere.